Compliments of
John Kallok.
aug. 15, 1931

EXPOSITIO

S. S. LITURGIAE S. JOANNIS CHRYSOSTOMI HISTORICA, DOGMATICA ET MORALIS.

AUCTORE:

SIMEONE SZABÓ, SS. THEOL. DRE,

PAROCHO SZTANFALVAENSI.

CUM PERMISSU GRAECI RIT. CATH. ORDINARIATUS MUNKACSENSIS.

UNGVARINI,

TYPIS „CONSORTIUM UNIO“.

1902.

Viro illustrissimo, Reverendissimo ac Doctissimo

Julio Firczák,

Ritus Graeci Catholicae Dioecesis Munkácsensis Episcopo,

SS. Petri Paulique de Tapolcza Abbati; necnon Inclyti Ordinis Imperatorii Leopoldi commendatori, Patri Fidelium Optimo,

Etc., Etc., Etc.,

In tesseram suae fiduciae reverentiaeque filialis

d. d.

Auctor.

L. J. Ch.

Lecturis salutem in Domino!

Motto: „Quaeso, ne meam stillam illorum flumini comparetis; non enim magnorum virorum ingeniis, sed meis sum viribus aestimandus."

S. Hieronymus.[1])

Contendente operis nostri titulo, negotium suscepimis illustrandi nostrum liturgicum officium.

Drama Missarum coeleste, prout in hac nostra expositione enodare ostendereque conati sumus, in varios dividitur actus scenasque, quibus diversa nativitatis, vitae ac praecipue passionis mortisque Dominicae mysteria fidelium exhibentur pietati, a praesepi Bethlehemitico usque ad sepulchrum in monumento Josephi ab Arimathia, necnon resurrectio aliaque mysteria gloriosa, quae subsequuntur.

Quantum a nobis fieri potuit, cunctis studuimus viribus doctrinam persuasionemque nostrae graeci ritus catholicae ecclesiae circa haec per explanationem liturgiae textus et ceremoniarum sacerdotalium in medium affere, officia diaconorum praeterire meditantes ne forsan benevolus lector per copiam explicationum eorum agendi rationis praepeditus sit luculenter videre ac dijudicare res principaliores.

---

1) Epistola ad Fabiolam de vestitu sacerdotum, in fine.

Si opella haec brevis non multum sapuerit, conatum ad minus benevolus admittat lector, qui haud dubie erit gratus et acceptus, si gratus ipse benevolusque exstiterit.

Ceterum, quae praesenti continentur expositioni, non aliter, nisi juxta sensum intentum et explicationem Sanctae Catholicae Ecclesiae accepta intellectaque volumus, cui tamquam infallibili regulae veritatis omnia humiliter subjicimus.

Addere juvat demum, ut neminem subeat mirari, multa hic collecta si offenderit, quae aliorum parta sunt sudore, dispensat siquidem nobis hanc licentiam et ipse celeberrimus Horatius sapienter admonens ut sequitur:

„Publica materies privati juris erit, si
Non circa vilem, patulumque moraberis orbem."

Datum Sztánfalvae, 23. Maji, 1900.

Auctor.

Proemium.

Deus creavit omnia . . . et minima, signavitque finem[1]) cunctis rebus concordantem atque correspondentem indigentiis naturarum earum, ad quem illae tendant necesse est; ergo et naturae hominis.

Omnibus iterum notum: manifestationem gloriae Dei finem esse primarium creationis, propriam vero hominis beatitudinem secundarium, qui ex primario necessario sequitur et cum illo — uti serius re perpensa fusius patebit — in strictissimo nexu se habet, ad illumque absolute dirigitur.

Pariter cuilibet ratiocinanti effulget: in ultima analysi utrumque creationis finem in Dei cultu digne terminari, prout hoc ex sequentibus palam fit. Etenim ad implendum finem primarium necessaria sunt entia, quae intelligere queant manifestationem gloriae Dei ex operibus ejus, quoniam mundus creatus visibilis solum tali modo elucet: medium esse ducens ad cognitionem Dei. Ast hoc revera per hominem in cultu divino et completur. Unde clare liquet, hominem utpote ens rationale peculiariter creatum et ordinatum esse ad hunc finem primarium.

Nimirum omnes creaturae debent suum Creatorem laudare ac glorificare, „universa — enim — propter semetipsum operatus est Dominus“[2]), sed cum hoc ex

[1]) Finis est terminus, ad quem aliqua natura, vel facultas, vel operatio dirigitur. Costa Rosetti S. J. Philosophia Moralis, p. 3.

[2]) Prov. 16. 4.

parte creaturarum irrationabilium tantum mechanice, modo necessario atque invito contingat, — sunt enim entia mere spontanea et sic actus intellectualis incapacia,[1]) homo qua ens liberum et rationale hoc libere operatur per Dei cognitionem, amorem et cultum. Homo ergo solus est aptus ad finem primarium promovendum, cum hic solummodo per illum impleatur congruenter correspondenterque hac in terra, ipse potens tantum cognoscere Deum, amare atque ex hoc cultum ei exhibere.

Ad idem pervenimus perspiciendo secundarium creationis finem, nempe quod propria hominis beatitudo similiter in Dei cultu attingatur. Pro argumentatione sufficiat illae communi alludere persuasioni, quod jam ex desiderio beatitudinis a Deo naturae humanae indito constet, hominem praeter manifestationem gloriae Dei ad propriam quoque beatitudinem esse destinatum, hanque exclusis quibuscunque creaturis, revera tantum in cognitione et amore Dei fundari, secundum illud Boetii:[2]) „Vera beatitudo consistit in cognitione summae veritatis et dilectione summae bonitatis."

Ast cum cognitione et amore Dei necessario conjunctus est et cultus Dei[3]), per quem solummodo cum Deo unimur, nisi enim objecto beatitudinis conjungamur, beati fieri nequimus.

Concludimus igitur: quod in cognitione et amore Dei atque ex his necessario fluente cultu et quidem vero Dei cultu attingatur termineturque proprie tum primarius, tum secundarius creationis finis, quod demonstrandum erat.[4])

---

[1]) Schouppe S. J., Elem. theol. dogm. t. i. p. 87.

[2]) Lib. 2. de prof Religios., cap. 29.

[3]) Müller, Theol. Mor. editio altera, t. i. p. 64.

[4]) Omnis vitae bonae ac beatae via in vera religione est constituta, qua unus Deus colitur. S. Aug. lib. de vera relig. cap. 1.

Cultus Dei itaque esto vocatio primumque negotium nostrum, ut digni fieri possimus Deo, magna nostra mercede in coelis, qui nobis praesentem vitam tamquam stadium constituit, in quo nos exerceri oportet, ut eo feliciter confecto ad coelestem evehamur patriam, ubi videbimus eum sicut est et „similes ei erimus", sancti scilicet et per omnem aeternitatem beatissimi[1]).

Fundamentum cultus atque fons ejus in ipsa natura humana existit, impossibile etenim est, ut sensus fidei, spei et charitatis velut constricti retineantur in corde nostro, cum ipsa natura postulet cogatque illos ex ejusdem penetralibus in omnem nostram sentiendi agendique rationem quaquaversus exundare. Et illos quidem actus, quibus vivus religionis sensus proxime in Deum ipsum se exserit atque majestati divinae reverentia, honor vel gloria formaliter et explicite exhibetur, nomine cultus divini comprehendimus. Necessitas cultus divini (intelligitur semper cultus externus) ex ipsa rei natura clare patefit, cum ita comparati simus, ut talis animae et corporis unitas in homine existat, ut actus interni maxime impediantur atque omnino omittantur, si actibus corporis externis non manifestantur, quod enim ad vivum sentimus, congruis quoque signis et actibus contestari nitimur.[2])

Summum vereque divinum hujus cultus exemplar in Jesu Christo conspicimus, cujus primum ac principale negotium fuit, ut Patrem suum non solum operibus, sed etiam tenerrimis obsecrationibus, orationibus, gratiarumque actionibus glorificaret, quod idem discipulis suis quoque frequenter commendabat. Et profecto idem cultus externi officium apostoli tum proprio suo exemplo, tum verbis

1) I. Joann. 3., 2.

2) Stökl: A bölcsészet tankönyve; t. 2. p. 545. sub. b).

adhortationibusque data quavis occasione inculcarunt. Imo teste historia et reliquae gentes, quamvis verum Deum ignorarent, divinitati tamen, quam unaquaeque colebat, cultum aliquem exhibendum esse, nunquam non persuasissimae erant. Non praetermittamus necesse est illam quoque rationem, ut scilicet tum nos, tum alios aedificemus, siquidem absque oratione et exercitiis religionis externae habitus infusi virtutum theologicarum magis magisque flaccescunt, demum vero et penitus exstinguuntur. Ast quomodo alios aedificabit, qui cultus divini obsequia et ipse omittit? Talis potius per suum neglectum reliquis in scandalum fit, quod eo perniciosius solet esse, quo majori ille auctoritate in societate ceteroquin pollet.

Quoad verum cultum, nemo inter catholicos dubitat, Deum ipsum protoparentibus instructionem praebuisse de modo, quo coli voluit, qui et interiori eorum cultui conveniens erat et simul ad significandum promissum Messiam congruebat, hosque iterum posteros suos de hoc edocuisse, prouti id et clarissimus Zschokke[1]) notat dicens: „Filii a parentibus ritum sacrificandi edocti sunt, nam disponente sic Deo, per sacrificia memoria peccati et necessitas futurae per mortem Messiae efficiendae redemptionis semper viva conservabatur; ideo sacrificia apud omnes antiquos populos reperiuntur, imo centrum religionis et cultus constituebant". Ceterum cuique patet, hominem per peccatum corruptum et reum debendi aeternam mortem nullum jus habuisse statuendi de eo, quod Deo placeat et quae via sit ad ejus reconciliationem?

Ex hactenus allatis sequitur itaque, fidem et amorem erga Deum fundamentum ac radicem esse religionis; cultum Dei vero principalem religionis actum. Cultus Dei

[1]) Historia S. A. T. edit. III. p. 41.

praecipue manifestat se in sacrificio et deinde in oratione[1]); in sacrificio inquam primo loco,[2]) quoniam dumtaxat sacrificium est signum proprium cultus divini, utpote quod Deo ita reservatum est, ut praeter eum nemini absque idololatria exhiberi queat. „Sacrificium certe, nullus hominum est, qui audeat dicere deberi nisi Deo . . . quis vero sanctificandum censuit nisi ei, quem Deum aut scivit aut putavit, aut finxit", ait S. Augustinus[3]). Ex mente siquidem communis hominum persuasionis solummodo sacrificium constituit principale elementum ac rem cultus divini primariam, alia vero signa cultus, ut e. gr. capitis inclinatio, genuflexio, incensum etc. secundaria indifferentiaque sunt, quae ad quemlibet cultum, sive latriae, sive duliae, sive alios applicari queunt, utpote libere determinabilia sive per speciale praescriptum, sive communi usu, sive ex intentione agentis.

Ritum sacrificandi summopere hominibus convenire nemo non videt. Nulla enim re aptius supremum Dei in nos dominium ac supra omnia excedens majestas exhibetur, nisi ea actione, qua dominium in aliqua re exercetur, quod potissimum per destructionem fit, quippe quae contineat exclusionem aliorum ab usu rei et absolutam prorsus de re dispositionem.

Jam nos in sequentibus de primo cultus divini constitutivo elemento, nimirum de sacrificio et quidem sacrificio novae legis, in quantum hoc liturgice perficitur, ergo de liturgia acturi sumus, et quidem omittendo varias quae in nostro ritu graeco inveniuntur ac in usu sunt liturgiarum species, unicum et singularem respectum liturgiae S. Joannis Chrysostomi adhibebimus.

---

1) Stöckl, o. c. p. 546.

2) Ibidem, p. 547.

3) De civit. Dei l. 10. c. 4.

I. PARS.

Prolegomena.

1. §.

Quaedam praenotiones de variis naturae humanae statibus deque sacrificiis v. testamenti.

Antequam ad modo signatam propriamque nostrae dissertationis thesin accederemus, quo magis claritatem istius promoturi, perutile consulimus enucleare, seu potius in memoriam quaedam revocare de statu justitiae originalis, de amissione ejus ac denique breviter de sacrificiis veteris testamenti.

Manifestum est, hominem a Deo condi non potuisse, nisi ob aliquem finem, non enim Deus temere ac inconsulto, sed sciens et volens et sapienter agit. Quodsi finis alicujus causa homo creatus fuit, auxilia quoque, seu media, quibus finem suum assequi posset, a conditore accepit, hoc quippe eadem Dei sapientia postulat. Et revera ex revelatione constat, Deum non statuisse, ut homo solis viribus naturae humanae insitis gloriam Dei externam procuraret, nec ut modo naturae proportionato beatus fieri posset, sed Deum statuisse, ut homo haec omnia faciat (impleat) modo, qui omnem potentiam ac exigentiam cujuscunque entis finiti absolute superet. Quamobrem destinavit Deus genus humanum ad visio-

nem beatificam seu immediatam essentiae divinae, quae prorsus supernaturalis est. Ideo una cum justitia et sanctitate conjuncta erant in protoparentibus eximia tum animae tum corporis dona et quidem: scientia in primis et perfecta voluntatis ordinatio quoad animam; immortalitas ac immunitas ab aerumnis et doloribus quoad corpus, ex quibus alia, a dogmaticis praeternaturalia appelata, hominem in ordine suo, seu in sua natura perficiunt, alia vero sic dicta supernaturalia eundem supra naturae suae conditionem elevant.

In hoc statu naturae omnes posteri nati fuissent, si Adam non peccasset, excepto dono scientiae infusae rerum naturalium, quae Adamo data fuit, ut tamquam primus parens posteros suos instruere posset.[1]) De illo et primaeva hominum felicitate multa continentur in antiquissimarum gentium traditionibus. De Graecis constat ex Platone, qui in „Politico“[2]) primam aetatem vere auream appellat dicens: „Θεὸς ἔνεμεν αὐτούς, αὐτοὺς ἐπιστατῶν... καθάπερ νῦν ἄνθρωποι, ζῶον ὄν θειότερον, ἄλλα γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύουσι. Γυμνοί δὲ καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο.“ Latine: Deus eos pascebat, custosque eorum ipse erat, sicut nunc homines, divinius animal, pascunt animalia sequiora. Nudi autem et sine stragulis sub dio plerumpue pascebant. Pari modo Dicaearchus[3]) peripateticus: „Τοὺς παλαιοὺς καὶ ἐγγύς θεῶν γεγονότας, βελτίστους τε ὄντας φύσει καὶ τὸν ἄριστον ἐξηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν χρόνον νομίζεσθαι.“ Latine: Primos illos diisque proximos mortales optimae fuisse indolis, vitamque vixisse optimam, unde et auream dici aetatem.

---

[1]) Suarez, De opere sex dierum 1. 5. c. 5. n. 11.

[2]) Tom. 2. op. p. 271. edit. Paris, 1578.

[3]) Citatur apud Varronem de re rustica 1. i. cap. 2.

Ex Latinis Ovidius:[1])

„Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebat;"

et Virgilius:[2])

„Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem aut partiri limite campum" etc.

Sinenses traditam hanc a majoribus doctrinam etiam religiose servarunt, eamque viri inter eos doctissimi scriptis quoque consignarumt. Sic in libris, quos „King" id est sacros vocant, haec leguntur: „Tempore primi coeli pura voluptas et pax perfecta ubique regnabat. Nulli tunc labores, non poenae, non dolores, non crimina; omnia humanae in terris parebant voluntati".[3]) Indorum traditionem refert Strabo[4]) ut sequitur: „Olim omnia plena erant triticeae et hordeaceae farinae, ut nunc pulveris, fontes alii lacte, alii aqua fluebant, nonnulli melle, alii vino, quidam oleo. Homines autem ob satietatem et luxuriam ad contumeliam se transtulerunt. Jupiter igitur illum statum exosus omnia abolevit."

Ast homo non diu stetit in ea, qua a Deo ornatus fuerat gratia, sed divinorum oblitus, divina quoque monita minasque contempsit. Avolavit itaque beata illa, in qua protoparentes nostri divino munere constituti fuerant felicitas ac bonorum omnium affluentia. Homo in sudore vultus sui terram findere ex ejusque visceribus victui necessaria eruere coactus est, imo et tellus divinum anathema sensit, quo tribulos spinasque homini ferre jubebatur.

---

1) Metamorph. l. i. v. 89.

2) Georg. 1. i. v. 125. sqq.

3) Windischmann, Philosophia in progressu historiae mundi, v. 1. p. 1. s. 1. p. 206.

4) Lib. 15. p. 250. t. 2. op. edit. Oxon. 1807.

Tali modo ortus est status naturae lapsae, qui infelicissimus fuisset, quoniam peccatum Adami praeter dona supernaturalia tum eum tum posteros ejus etiam spe beatitudinem supernaturalem assequendi privavit, nisi hic status per infinitam Dei misericordiam reparatus fuisset.

Jam in hoc statu plures epochas distinguimus, quarum 1. continet aeram a lapsu usque ad Abraham, respective ad datam circumcisionem, quando tum pro viris tum pro feminis aliquod signum externum existebat, secundum Scholasticos „actio quaedam externa protestativa fidei in Christum venturum[1]) in remedium peccati originalis;“ 2. tempus ab hinc usque ad Moysem se protrahens, in qua epocha circumcisio in sexu masculino erat ejusmodi remedium, nempe pro pueris octiduis, pro aliis vero octiduo minoribus et pro foemellis illud, quod in lege naturae serviebat, non enim de alio scimus; 3. per legem Moysis dein multiplicia signa data sunt, quibus gratia Christi significabatur, monente siquidem Schnell:[2]) „quia lex scripta erat vicinior adventui Christi.“ Hic jam in plena sua pompa splendoreque cum variis caeremoniis prout decet et in determinata[3]) ratione emergetur sacrificium, hoc principale cultus divini momentum, quod

---

[1]) P. A. Schnell. Cursus theol. scholastico-thomisticae. Augustae Vindel. et Ratisbonae 1740. p. 7. q. 2. a. 2. — [2]) Ibidem a. 3. — [3]) Hence Abel, Enos, Melchisedech, Abraham, Job and other holy patriarchs and servants of God, who liwed under the law of nature, thought it their duty to raise alters to the honor of the Deity and to sacrifice whatewer they deemd fittest to express the humble sentiments and inward dispositions of their souls . . . In the law of Moses, when the Lord Himself was pleased to reveal to His Chosen people the particular manner, in which He was willing to be honored and worshiped by them, He instituted a great wariety of sacrifices etc. Gahan O. S. B. Sermons. Edit P. I. Kenedy, New-York, 1895. p. 300.

est oblatio externa, legitime instituta, qua res aliqua sensibilis vel totaliter vel partialiter immutatur vel destruitur, per ministerium legitimum ad agnoscendum Dei in omnes res dominium nostrique subjectionem.

Nostri interest, de sacrificiis A. T. utpote quae in strictissima relatione cum generali nostrae expositionis objecto se habeant, quamdam anteceptam praemittere informationem.

Procul dubio recte putatur rationem sacrificandi non casu fortuito, nec a devotione humana originem suam ducere, sed a quadám divina suggestione, instinctu vel dicamus consilio (Graece ἐπινοία) esse repetendam, sicuti leges perfectiorem sacrificiorum ordinationem continentes per Moysen datae pari modo a Deo provenerunt, quemadmodum supra quoque meminimus. Hic quippe divina inspiratione edoctus, plures Judaeis sacrificiorum species praescripsit, quae ratione materiae in cruenta et incruenta dividuntur, prout scilicet per effusionem sanguinis animalium, vel e rebus inanimatis fiebant.

Materia sacrificiorum incruentorum iterum duplicis generis erat: 1. liquida, libamen, Hebraice נֶסֶךְ (nesech), v. gr. vinum, oleum et hoc per effusionem offerebatur; 2. alia solida, fertum, Hebraice: מִנְחָה (mincha) quemadmodum panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum virentium.[1])

Sacrificia incruenta vera et propria sacrificia erant, quae Eucharistiam novi testamenti praeprimis praefigurabant.

Sacrificia cruenta dividebantur: 1. in holocausta, Graece ὁλοκαυστώματα, Hebraice עוֹלָה (ola), originis perantiquae, quae frequentissime occurebant ac etiam a gentibus offerri poterant. Huc pertinebant a) sacrificium

---

[1]) Lev. 2., 2. Danko, Historia rev. div. v. test, Vindobonae 1862. p. 157.

juge, quotidie oblatum, de quo Zschokke[1]) pulcherrime animadvertit, ut sequitur: „Sacrificium juge existit typus agni immaculati, qui vespere pro nobis immolatus est in cruce, mane offertur in altari et qua Eucharistia semper in altari sese offert;“ b) sacrificia in festis praescripta et c) illa, quae aliis sacrificiis praemittebantur, uti in consecratione sacerdotum, dimissione Naziraeorum, purificatione puerperarum et leprosorum.[2]) 2. Sacrificia expiatoria et quidem duplicis generis; a) pro peccato, Hebraice חַטָּאת (chattadt); LXX.: περὶ ἁμαρτίας; Germanice: Sündopfer, et b) pro delicto, Hebraice אָשָׁם (ascham); LXX.: τῆς πλημμελείας; Germanice: Schuldopfer, „quae-juxta supra laudati Danko[3]) cum duo distincta habeant nomina et animalia ad oblationem idonea, necnon ritus diversos, sejungenda sunt.“[4]) c) Sacrificia pacifica, Hebraice: שְׁלָמִים (schelamim); LXX. θυσία σωτηρίου; Vulgata: hostia pacificorum, quae offerebatur sive in gratiarum actionem,[5]) quo casu eucharistica erat, sive pro beneficio impetrando, ergo impetratoria,[6]) sive ex voto, ergo votiva.[7]) d) Inter sacrificia specialia occurrunt: e) sacrificium in pangendo foedere Dei cum Israel oblatum, cujus brevem descriptionem, cum praecipue typus esset sacrificii cruenti a Christo Domino in cruce oblati, sanguine cujus totus mundus abluitur, sanctificatur et cum Deo unitur,[8]) necessarium putamus breviter in sequentibus afferre.

---

1) O. c. p. 117. n. 11.
2) S. Thomae 1., 2. q. 102. a. 3. ad. 8.
3) O. c. p. 155.
4) Lev. 5., 15.; 14., 11.; 19., 21.; Num. 6., 12.
5) II. Par. 33., 16.
6) II. Reg. 15., 7., 8.; Ps. 65., 13.; Jon. 2., 3.
7) Lev. 7., 11.
8) Hebr. 9., 11—28.

Postquam in monte Sinai inter tonitrua et fulgura atque alia terribilia naturae phaenomena data est lex, scilicet decalogus (quasi a vocibus δέκα λόγος=decem verba); Hebraice vero: עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים (asereth haddebarim); Graece: τὰ δέκα ῥήματα, et postquam Moyses teste Exodi 31., 4. universos Dei sermones in scriptis redegit, ut maneat in aeternum rerum gestarum memoria, sequentibus caerimoniis solemnitus foedus illud formatum erat.

Moyses ad radices montis altare erexit atque circa ipsum 12 titulos i. e. lapides, 12 tribus Israel repraesentantes posuit, „misitque juvenes de filiis Israel et obtulerunt holocausta“, vel juxta chaldaicam versionem, prout Cornelius a Lapide in commentario suo ad hunc. 5. versum c. 24. observat: „Misit primogenitos filiorum Israel, hi enim in lege naturae erant sacerdotes, necdum enim Aaron ordinatus erat sacerdos, licet S. Augustinus hos putet fuisse filios Aaron, qui postea creati sunt sacerdotes“. Tulitque Moyses dimidiam partem sanguinis et misit in craterem, residuum vero super altare fudit. Etenim mos erat antiquitus in genere apud veteres foedera victimis et sanguine sancire, unde Vergilius[1]) de Romulo et Tatio sic canit:

„Armati Jovis ante aram paterasque tenentes
Stabant, et coesa jungebant foedera porca.“

Anonymus, Belae regis notarius tradit. Hungaros ante occupationem hodiernae patriae etiam per cruentum foedus in unam nationem coaluisse, nempe cum 7 tribuum duces in locum jam senis Álmos filium ejus Árpád primarium ducem elegissent, ea ratione foedus pepigerunt, quod aperiendo venas in brachiis suis, tali

1) 8. Aeneid.

modo effluentem sanguinem in vasculum mittebant, deinde vero in pignus atque signum foederis pacti unusquisque ducum ex vasculo biberat.

Moyses ulterius praelegit verba legis et postquam populus se eis obediturum promiserat, respergebat sanguinem, quem prius in craterem fuderat, in volumen legis populumque dicens: „Hic est sanguis foederis, quod Dominus pepigit vobiscum super cunctis sermonibus his“, qua ratione nomine Dei foedus cum Israelitico populo pepigit, vi cujus illi legum sibi expositarum observationem in se suosque posteros susceperant.[1])

Notare juvabit a quocunque potuisse victimam jugulari, proprium autem munus sacerdotum erat: excipere sanguinem, transferre et eo aspergere altare, ceteraque munia obire. Quin etiam hominibus alienis, id est non sacerdotibus licebat pelle victimam exuere, eandemque in partes dissecare, sed sacerdotum proprium munus erat sanguine victimae altare aspergere. „Immolabitque vitulum coram Domino, is scilicet, qui offert, et offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus fundentes per altaris circuitum.“[2]) Praeceptum hoc typicum impletum est occasione mortis Domini, quia Annas et Caiphas et caeteri sacerdotes, qui consilium inierunt contra Dominum, filii Aaron erant, et ipsi obtulerunt et sanguinem fuderunt in eodem loco, ubi erat altare, id est in Jerusalem, sive potius in templo ipso, ubi sacerdotes Jesum mortis reum judicarunt.

Effusio sanguinis vivide adumbrabat futurum foedus per Christum Dominum pangendum, quod ille in cruce sanguinem effundendo pepigit, quo totus mundus abluitur, sanctificatur et cum Deo unitur.[3])

2. Ad sacrificia specialia porro pertinebat speciale duorum passerum sacrificium in purificatione leprosi[4]) et 3. sacrificium vaccae ruffae, cujus combustae cinis aquae lustrali admiscebatur.[5])

---

[1]) Exod. 24., 3—8. — [2]) Lev. 1., 5. — [3]) Hebr. 9., 11., 28. — [4]) Lev. 14., 1—32. — [5]) Num. 19.

Nota. Combustio carnium et incruentorum atque effusio vini oleique ad basin altaris, quod ultimum quandoque conspergebatur ac liniebatur in panem, aut cum farina subigebatur, ipsum hominem

2. §.

De efficacia a. testamenti sacrificiorum.

S. Thomas Aquin.[1]) sequentia de horum efficacia docet: „Sacrificia offerebantur tum ad excludendam idololatriam, tum ad significandum debitum ordinem mentis humanae in Deum, tum etiam ad figurandum mysterium redemptionis humanae per Christum."

Nos pro fine nostro omittimus tractationem duarum priorum specierum efficaciae: sacramentalis nempe ac symbolicae, in modo citatis divi Thomae verbis contentarum atque dumtaxat tertia ibidem indicata specie occupabimur, scilicet typica, quae ita appellatur, „quatenus juxta sententiam communiorem sacrificium expiatorium

---

peccatorem repraesentabat, qui symbolice victimam in sui locum substituebat atque peccata sua poenamque promeritam in eam quasi transferebat, manum capiti istius imponendo, simulque per id typice spem futurae satisfactionis realis prodebat, ad oculos clare demonstrando, se ipsum debere propter comissa peccata mortem subire et ad instar oblatarum victimarum igne annihilari, ut offensae divinae satisfiat. Imposito haec manus supra caput victimae non solum typus erat impositionis peccatorum nostrorum in J. Christum, sed simul emblema poenitentiae, sine qua peccatores haud purgabantur.

Combustione typice praenotabatur passio et exinanitio J. Christi.

Quod vero hostiam innocentem attinet, quae uti supra meminimus pro peccatore symbolice substituta mortique tradenda fuerat, haec quemadmodum sacrificia veterum in genere praedicamenta, atque typicae praefigurationes venturi unius verissimi sacrificii J. Christi erant, in quo ille reali substitutione semetipsum Deo in victimam obtulit, tamquam agnus immaculatus, „qui nostros languores tulit atque vulneratus est pro peccatis nostris ac attritus propter scelera nostra." Isaiae 53., 4., 5., Cf. Danko, o. c. pp. 154—163.; Zschokke, o. c. pp. 122—130.

Altare crucem figurabat, in qua exaltatus est Christus Dominus et quae respersa est sanquine ejus pretioso.

[1]) 1., 2. q. 101. a. c. col. q. 102. a. 2.

offerentem, qui per fidem cum Christo pro nobis passo, cujus victima typus erat, conjungebatur, ex fide Christi, ergo ex opere operantis, non autem ex opere operato expiabat,“ ut putat Zschokke.[1]) Ceterum de hac materia theologi adhuc disputant, „quum plane haud constet de sacramentorum Antiqui Testamenti vi et efficacia.“[2])

Nos opinamur desuper sequentia valere.

A nemine negatur sacramenta a. testamenti gratiam Christi et remissionem peccatorum significasse, talique modo justitiam civilem effecisse, justitiamque internam cum hominibus per Christum communicandam adumbrasse. Ex altera vero parte confiteri oportet cum illorum usu gratiam sanctificantem tamen aliquo modo conjunctam fuisse, secus non possunt intelligi declarationes a. testamenti, juxta quae sacrificia praescripta sauvissimi odoris sunt coram Deo, nec mens orationis liturgiae S. Patris Basilii post sacrorum donorum in s. mensam depositionem: „Ἐπίβλεψον ἐφ᾽ ἡμᾶς ὁ Θεὸς καὶ ἔπιδε ἐπὶ τὴν λατρείαν ἡμῶν ταυτὴν καὶ προσδέξαι αὐτὴν, ὡς προσδέξω Ἄβελ τὰ δῶρα, Νῶε τὰς θυσίας, Ἀβραὰμ τὰς ὁλοκαρπώσεις Μωσέως καὶ Ααρών τὰς ἱεροσύνας,“ (Latine: respice ad nos Deus et respice ad hunc cultum nostrum, et eum suscipe, sicut Abel dona suscepisti, Noe sacrificia, Abrahae oblationes, Moysis et Aaron sacerdotia), nec illa in canone missae Latinorum exhibita: „Ut Deus acceptum habeat sacrificium nostrum, sicut accepta habere dignatus est munera Abel, sacrificium Abrahae et quod ille obtulit summus sacerdos Melchisedech“. Item ex testimonio Apostoli in omni gente, qui operatur justitiam, acceptus est Deo,[3]) eo magis tunc Judaei, suscipientes

---

[1]) O. c. p. 130., sub littera c.

[2]) Schwetz, Theol. dogm. cath. v. 4. p. 116.

[3]) Act. ap. 10., 35.

sacramenta praescripta Deo accepti esse debebant. His praemissis, cum ulterius quaestio oriretur, quomodo haec gratiam operabantur, respondemus: triplicem desuper existere sententiam. Juxta primam sacramenta v. testamenti gratiam ex opere operantis sicut alia bona opera operabantur; juxta secundam[1]) operabantur gratiam ex opere operato, non per se, sed per accidens, mediate igitur, medium vero illud erat: significatio Christi; juxta tertiam sententiam sacramenta a. testamenti operabantur gratiam veluti causa occasionalis, id est: erant occasio gratiae.

Sententia prima et secunda deserendae sunt; prima enim justo minus adscribit sacramentis, nimiumque ea deprimere videtur, ita ut haud intelligatur, cur sint instituta; secunda autem justo plus adscribit eis, „quum si ea virtute significationis illius, quae ad ipsorum naturam ac essentiam pertinebat, gratiam contulissent, nequaquam per accidens, sed ex sua natura ac per se, licet non immediate, sed mediate operata essent; atqui tunc discrimen inter sacramenta novae et veteris legis vere esset nullum." Praeferenda est ergo tertia sententia, secundum quam sacramenta fidem ad futurum Messiam excitabant, atqui per fidem formatam homo revera justificatur, unde erat occasio ad gratiam; ergo immediate operabatur fides ex opere operato.[2])

Itaque constat: sacrificia antiqui testamenti per se,[3]) e natura sua, seu ex opere operato Israelitas non

---

[1]) S. Bonaventura. In 4. dist. 1. q. 5. Ven. 1748. t. 5. p. 49. sqq.

[2]) Schwetz, o. c. p. 118. sqq.

[3]) Vaughan cardinalis in opere suo „The holy sacrifice of the mass" scribit: „None of these sacrifices, however, of the Old Law, had any value in themselves, Whatever worth, they possessed was derived from the dispositions of the Priests who offered them, and from the faith which referred them to God, who valued them as the types of the Great Sacrifice, which was jet to come."

justificasse, eo minus ex opere operantis, — illa abstracte a relatione sua ad Christum insufficientia fuisse ad illos fines obtinendos, quos attectura erant, unde ea S. Paulus[1]) merito infirma egenaque elementa vocat.

Pulchre ad hoc advertit Zschokke[2]) dicens: „Justificabant autem sacrificia a. testamenti cum fide et spe in Messiam conjuncta. Remissio peccatorum et gratia sanctificans donabatur eis, qui adjuti per gratiam actibus fidei, spei atque charitatis inserebantur in Christum reparatorem futurum, itaque tamquam membra capitis Christi futuri, subnumerabantur semini mulieris triumphatori, ac accensebantur ecclesiae fidelium, ad quorum sanctificationem merita adhuc futura Christi capitis e sua misericordi praemissione acceptavit Deus."

3. §.

Cessatio a. testamenti sacrificiorum.

Judaei, populus hic durae cervicis atque cordis carnalis, cujus affectus ad temporalia maxime proclives erant, teste fere tota historia eorum sicut sub theocratia, ita serius post Christum natum funeste eminebant ingratitudine sua erga Deum. Iis revera convenientissime verba Hugonis a S. Victore[3]) applicari possunt, asserentis; „Multi habent legem in corde, sed non habent cor in lege; legem in corde habent, qui diligunt veritatem. Qui legem in corde habent, non cor in lege: hi portant legem, non portantur a lege, onerati sunt, non adjuti."

Sacrilegium, quo Israel crucifixione, vaticiniis typisque promissi Messiae se polluerat, mox est poena secuta,

---

1) Gal. 4., 7.

2) O. c. p. 131. n. 3.

3) Super psal. 1., 2.

Urbs s. — uti Christus[1]) Dominus praedixerat — a Tito anno 70. post Christum natum capta soloque aequata est; templum vero eodem die, quo prima vice sub Nebucadnezare, combustum fuerat. Ultimus actus illius funestae ac percutentis tragoediae erat, quod ultra decies centena millia Judaeorum occisi et plus quam 90.000 captivorum aut venditi, aut Romam abducti fuerint. Israel salutem oblatam ac religionem christianam, flores fructusque oeconomiae divinae a. testamenti respuendo, sibi ipsi manum intulit, quapropter etiam justam poenam luere tenetur. Frustra enim pepigit Dominus cum eis foedus illud sublime per Moysen servum suum et factus est sic sensu strictissimo rex gubernatorque eorum; frustra elegit populum Israel in peculium de cunctis gentibus, in regnum sacerdotum et gentem sanctam; frustra fuerant omnes doctrinae, promissiones bonorum, comminationes malorum per legem ac prophetas factae; frustra subsequentes impletae castigationes per gentes etc., Israel consequens mansit in impietate erga Deum, qui jam per os Isaiae[2]) prophetae sequenti conquestus est contra eum modo: „Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? plenus sum: holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum et agnorum et hircorum nolui. Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi . . . iniqui sunt coetus vestri,“ donec sublata fuerit lex et theocratia cum omnibus suis adjunctis, nempe cum populus ipse eam publice sprevit clamando: „non habemus regem, nisi caesarem,“[3]) subsequenti regno spirituali Christi in aeternum duraturo. Proinde sacramenta veteris

---

[1]) Matth. 24.

[2]) 1., 11., 13.

[3]) Joan. 19., 15.

legis praenuntiantia Christum venturum, ejus adventu impleta ablataque sunt et juxta S. Augustinum[1]) „ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere legem, sed adimplere: et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia fidei revelata et in libertatem vocatis filiis Dei jugo servitutis ablato, quod duro et carni dedito populo congruebat.“ Merito siquidem ille, qui non voluntarie se subdit legi faciendo, quod praescribit invitus subjicitur legi poenam luendo, quam dictat.[2])

Hinc forma antiqua, spiritu vivificanti vacua, perditioni tradenda erat. Etenim lex Mosaica regnum Dei non constituit, sed praeparatio ac introductio fuit, seu Paedagogus, quo aetas juvenilis rudisque ad novam salutis oeconomiam disponeretur. Quare, ubi veritas ipsa succcssit, umbra disparuit lexque antiqua cum omnibus suis adjunctis cessavit, „quoniam veritate superveniente cessat umbra, et figura praenuncians sortitur finem intentum, quo habito, cessare debet ejus usus et actus: hinc est, quod gratia superveniente, vetera sacramenta et signa impleta sunt pariter et sublata.“[3])

Hanc legis veteris cessationem apostoli tum in synodo Jerosolymitana, tum data quavis occasione asseruerunt. Praesertim S. Paulus, qui antehac fervens paternarum traditionum aemulator fuerat, divino lumine illustratus jam disertissimis verbis docuit, legem priorem per Evangelium esse abrogatam.

En religionem Judaicam! Fuit quidem vera et divina, attamen imperfecta et quasi prolusio ad veram libertatem, qua liberavit nos Christus. In ipso namque

---

1) Contra Faustum 1., 22. c. 6.

2) Müller o. c. p. 127., 476.

3) S. Bonaventurae Breviloqu. p. 6. c. 2.

appropinquavit regnum coelorum, qui est „Princeps regum terrae, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et facit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo."[1])

4. §.

De institutione sacrificii Christi.

Ut ex supra dictis liquide apparet, lex vetus, quae tantum umbra erat futurorum „non ipsam imaginem rerum habens."[2]) quae paedagogus noster fuit in Christum, donec venerit semen, qui promiserat,[3]) sublata est adventu Christi, toties a prophetis praedicti, qui novam legem, novumque sempiternum sacrificium illis substituit, quae tamen in oppositione ad sublata non sunt earum simplices negationes, sed perfectiones secundum illud: „Non veni solvere legem, sed adimplere."

Omnia siquidem novae legis praecepta in vetere implicite, seu sub aliqua figura latent, quare consequenter dicitur novam legem in vetere ut frumentum in spica, aut arborem in semine contineri, juxta illud S. J. Chrysostomi:[4]) „Primo herbam fructificat in lege naturae, postea plenum frumentum in Evangelio."

Typicis istis prolusionibus ipsa tandem veritas successit, dum Jesus Christus, qui „cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem,

1) Apoc. 1., 5., 6.
2) Hebr. 10., 1.
3) Gal. 3., 14., 24.
4) Ad. Marc. 4., 8.

mortem autem crucis,"[1]) qui in hac sui oblatione omnia sacrificiorum genera adunavit, atque revera factus est centrum omnium temporum, ita ut ex Ipso justitiam et sanctificationem redemptionemque hauserint non solum, qui credituri erant in Eum, sed omnes quoque, quotquot ante ipsius in carne adventum per fidem adepti sunt repromissiones.

Etenim advenit plenitudo temporis. „Verbum caro factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis."[2]) Anni a Daniele propheta praedicti defluxerunt, qui eundem annorum numerum videt quemadmodum Jeremias, ast aliam computationem temporis, cujus singulas epochas tam exacte indigitat, ut exspectantibus nullum remaneat dubium suo tempore de identitate personae Messiae, cujus exspectatio testibus evangeliis aliisque fontibus revera tempore apparitionis suae tum Judaeorum, tum gentilium communis erat. Ecce venit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui mundam oblationem in aeternum duraturam et ubique offerendam sacrificavit, mundoque tradidit, divinante Malachia:[3]) „Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum." Et quae est ista oblatio munda, nisi idem sacrificium,[4]) quod Jesus Christus semel in cruce litavit et quod idem ex

---

[1]) Phil. 2., 6. sqq.

[2]) Joan. 1., 14.

[3]) 1., 11.,

[4]) Vaughan o. c. p. 39. „Having eaten the Pascal lamb, the most perfect image in the Old Testament of Himself, He closed for ever the rites and sacrifices of the Old Law and instituted in their place the Adorable Sacrifice of the New-Law, which we call the Mass."

Ipsius institutione in vera ecclesia Ejusdem quotidie recens exhibetur, modo quidem incruento, ita tamen, ut in altaribus nostris una eademque sit hostia et idem Offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, utque oblationis illius cruentae fructus per hanc uberrime percipiantur.

Verum miraculum inexplorabilis divina oeconomiae! Unus vulneratur et omnes liberantur! Deus offert innocentem filium suum[1]) pro hominibus debitoribus propter dilectionem, quam habet in mundum et Justus solvit, quod non debeat. „Revera non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri."[2]) „In ipsum omnes justi ab initio suos oculos intentos habuerunt et in fide defuncti sunt."[3]) Nos vero post ejusdem adventum illum firma et viva fide comprehendimus, ut sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, ita quoque per hunc justifiacatio nobis obtingat et copiosa redemptio.

Omnibus nobis certissime constat, nihil esse his in terris sanctius, nihil excellentius, nihil magis dignum majestati divinae sacramento SS. Eucharistiae, respiciatur hoc sive in se, sive in mirabilibus suis operationibus, quod totius religionis christianae compendium est et velut ipsius incarnationis continuatio ac extensio. In hoc enim inenarrabili mysterio Salvator optimus omnes divitias[4]) sui erga nos amoris effudit, non enim gratias

---

[1]) Vaughan o. c. p. 51. concludens: „He might be a propitiation for the sins of the people."

[2]) Act. ap. 4., 12. — [3]) Hebr. 11., 13.

[4]) Vaughan o. c. p. 43., 44. „Well, in the Mass we posses Him, not in figure as God formerly dwelt behind the veil of the old temple: but substantially and personally, in all His living power and pitiful love and goodness, hidden behind the thin veil of the sacra-

suas tantum in eo nobis largitur, sicut in caeteris sacramentis, sed ipsum nobis intime inserit ac propria nos carne pascit et confortat. Merito exinde sic prorumpit exaltans Thomae a Kempis[1]) anima: „O dulcissime et benignissime Jesu, quanta tibi reverentia et gratiarum actio cum perpetua laude pro susceptione sacri corporis tui debetur, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur."

Hoc est lignum vitae in medio paradisi[2]) plantatum, cujus fructus immortalitatem praestat edentibus juxta illud Apocal.: „Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradisa Dei mei;" hic manna de coelo descendens, quod omnes in se continet saporis suavitates; hic ipsa nobiscum se commiscet incarnata Sapientia, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum; haec est oblatio, quae inde a principio per varias sacrificiorum similitudines figurabatur, utpote quae bona omnia per illa significata complectitur, velut consummatio perfectioque omnium; huc sacerdotium secundum ordinem Melchisedech refertur, oblatioque illa munda a Malachia praedicta; haec demum est divina illa liturgia, cui testimonium omni exceptione majus praebent canones ac traditiones aposto-

---

mental species. The veil is impenetrable as a wall of adamant to sense and human science; but to him it is slighter and fainter than the faintest gossamer, and He comes as near to us as the very species themselves. It is no mere picture, recital, or history of His life that is brought bofore us in the Mass. The very God-man Himself, with the whole continuity of His life from the Incarnation until this moment are actually present . . . . . . What more could you desire short of seeing Him in His glory?"

[1]) Lib. 4. De imit. Christi cap. 2. sent 2.

[2]) De illo ligno S. Bonaventura refert: „Divina virtus illi ligno tamquam sacramento assisteret, quae immortalitatem perficeret." Breviloqu. Edit. II. Brisgov. 1881. p. 165. n. 12.

lorum, sanctae synodi, necnon consensus non interruptus usus que totius ecclesiae, orientalis aeque ac occidentalis, in qua pastor bonus oves suas proprio pascit cruore atque nobiscum manet omnibus diebus, ut et cibus sit peregrinantibus et futurorum bonorum pignus certissimum, „Vere non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades universis fidelibus tuis; quibus ob quotidianum solatium et cor erigendum in coelum, te tribuis ad edendum et fruendum.“[1])

In hoc revere divino opere praecipue considerari potest, quid infinitus Dei amor queat omnipotentia conjunctus efficere, quod tam pulchre confitetur ecclesia graeca in oratione SS. Theophaniorum, seu festi Epiphaniae: „Μέγας εἶ Κύριε καὶ θαυμαστὰ τὰ ἔργα σοῦ, καὶ οὐδεὶς λόγος ἐξεαρκέσει πρός ὕμνον τῶν θαυμασίω σοῦ;“ Latine: Magnus es Domine et miranda opera tua, nec ullus sermo ad mirabilium tuorum laudem sufficiat.

Hic est sacerdos ille magnus,[2]) ἀρχιερεὺς μέγας: „Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus: cujus livore sanati estis,“ cui per eminentiam hoc nomen adscribitur, cum caeteri sacerdotes tum ante tum post eum existentes omnem suam potestatem ex Eo, qua fonte hauriebant habentque. Ergo Christus non ejusdem dignitatis sacerdos est, sicut alii, sed est sensu strictissimo „sacerdos magnus“, cui potestas sacerdotalis in tali extensione ac plenitudine proprium est, sicut nulli creaturae esse potest. Siquidem dignitatem sacerdotalem judicamus, secundum eminentiam status, originis ac gradus offerentis personae atque juxta pretium oblati. Jam Christus per oblationem sui ipsius omnes sacerdotes in his supe-

---

[1]) Thomas a Kempis o. c. 1., 4. c. 13.

[2]) Hebr. 4., 14.

rat, vere ergo solus tantum dicitur: ἀρχιερεὺς μέγας, quoniam sicut supra meminimus, fuerant sacerdotes et ante Eum et post, ast primi dumtaxat eo fine ordinati, ut offerendis oblatis magnum Christi oblatum praesignent, talique modo fidem in promissum Messiam sustentent, sacerdotes vero novi testamenti, ut offerent hoc magnum Christi oblatum Patri, utique non suo, sed Christi nomine ac potestate, qui sic per eos et in illis munus sacerdotale ipse administrat, et ex hoc etiam juste sacerdos magnus appellatur. Ulterius cuncti hi sacerdotes moriendo desinunt munere suo sacerdotali fungi, dum Christus manet sacerdos in aeternum,[1]) animadvertente enim Cornelio a Lapide:[2]) „Christus in coelis interpellat et orat pro nobis idque proprium est Christo, ut tamquam pontifex oret pro nobis; alii enim sancti, etiam ii,

---

[1]) Vaughan o. c. p. 21. sq. scribit: „There now exist but One Priest, One Victim, One Sacrifice, One Altar. Every other is the priesthood, the Sacrifice, and the altar of devils (I. Cor. 9.) either bacause instituted or inspired by devils, or because (perhaps unconsciously) employed in the service of devils. Tertullian ... calls Him the Catholicus Patris Sacerdos ... trough whose Hands all gifts of prayer and Sacrifices must be presented to God in order for acceptance; and lastly, that God neither heals, nor forgives, nor teaches, nor blesses, nor rewards, nor saves trough the power of any other. All is „trough J. Christ our Lord". The question may perhaps be asked. „Are there, then, no priests, in the Catholic Church?" Christ has no succession of Priests, offering in their own right their own sacrifices, as in the Old Law. But those who are rightly ordained partake of Christs Priesthood, receiving that certain but limited communication of His power which He was pleased to give. It is not their own, but Christs priesthood, that they receive and exercise; and hence many of the Fathers call them „Christs vicars," „ambassadors," „representatives," and „ministers," signifiyng, that wen they teach, absolve, and offer Sacrifice, they are discharging Crists sacred Sacerdotal office.

[2]) In Rom. 7., 5.

qui in hac vita sacerdotes fuerunt, orant pro nobis in coelo, non tamquam sacerdotes, sed tamquam privati sancti et amici Dei; non enim amplius funguntur sacerdotio in coelis."

Hic sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui ut b. Paulus[1]) observat, „non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitae insolubilis," i. e. qui non secundum legem carnis factus est sacerdos ad instar sacerdotum legis Mosaicae, ut moriatur et alter ei substituatur, sed cujus sacerdotium aeternum est. Cum autem sacerdos hic aeternus, ad dexteras Patris in coelis sedens non illud cruentum olim in Golgotha oblatum sacrificium offert, „una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos,"[2]) sequitur: oportere in terra sub alia specie existere memorabile illud sacrificium, sub qua semper offerat Pontifex noster summus, sicuti hoc in cruce fecit, „manet enim sacerdos in aeternum." Egregie desuper docet Card. Franzelin,[3]) ut sequitur: „Est Christus in coelo sacerdos in aeternum non solum dignitate permanente et effectu sacrificii perpetuo, sed etiam continuata functione, non quod sacrificium in coelo offerat, sed quod statum victimae in cruce et totum meritum illius sacrificii Patri pro nobis repraesentat, et ita interpellat pro nobis interpellatione sacerdotali. Unde etiam in coelo victima est, non quae ibi nunc actu sacrificetur, sed quae semel est sacrificata et nunc cum omnibus meritis illa oblatione consummatis perseverat et vivit in aeternum."

Nunc jam quaestio oritur, quae nam sit illa species, quae in locum illius cruenti sacrificii substitui debeat, ut illud non tantum significative repraesentet, sed

---

1) Hebr. 7., 6.

2) Ibidem 10., 14.

3) De verbo incarnato thes. 51. n. 2.

realiter quoque contineat? Respondet s. mater ecclesia:[1]) „Una est fidelium universalis ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse sacerdos et sacrificium Jesus Christus, cujus corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur."

Panis igitur et vinum sunt species, quae secundum aeternum Altissimi consilium materiam debeant constituere sacrificii Jesu Christi, sacerdotis secundum ordinem Melchisedech; sub his rudibus elementis placet ei ex amore erga nos latere, quem coeli capere non sufficiebant; sub his speciebus denuo quotidie in locis innumeris se pro nobis sacrificat.

In texenda institutionis SS. Eucharistiae historia oportet a sermone illo mirabili incipere, quem Jesus Christus[2]) cum Capharnaitis habuit, in quo magna cum asseveratione promisit daturum se corpus et sanguinem suum oraliter manducandum, seu corpus suum in cibum, sanguinem vero in potum.

Accurate perpendendo modo laudatum 6. caput, animadvertitur s. evangelistam a v. 1—26. referre miraculum a Christo patratum in multiplicatione panum, summa cujus partis haec est: paverat Christus in deserto quinque hordeacaeis panibus et duobus piscibus quinque circiter millia populi et post hoc mari vento agitato ambulans transiit Capharnaum. Eo convolat multitudo populi non tam Christi dilectione salutisque cupiditate ducta, quam potius, quia ab ipso saturata fuerat, foreque ut deinceps pari modo saturaretur, sperabat: „Quaeritis me, ait Salvator — non quia vidistis signa, — quibus ad fidem in me promoveri potuistis, — sed quia mandu-

[1]) Conc. Lat. IV. c. 1.; Item Trid. sess. 22. c. 1.

[2]) Joan. cap. 6.

castis ex panibus et saturati estis,“ saturarique iterum cupitis. A v. 27. Christum exhibet commendantem panem coelestem ac fidem in se ipsum hunc panem pollicentem verbis: „Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis,“ quibus incipit proemium seu praeparatio ad elevandam mentem. „Operamini non cibum, qui perit“, id est non talem, qui perit, sicut panis atque piscis, sed cibum vitae aeternae. Ex quibus intelligimus Christum arrepta miraculi occasione panum exhibuisse Judaeis cibum longe excellentiorem, nempe Eucharistiam. Ut autem conciliaret sibi hunc panem pollicenti fidem, patefacit auditoribus necessitatem fidei in suam divinitatem, quum is solus, qui Deus sit, queat talem cibum promittere et parebere. Ast quaerunt Judaei, quo sibi facto opus sit, ut hunc sibi comparent cibum coelestem, a Deo effectum? Respondet Jesus, id futurum, quando in se Messiam, verum Dei Filium crediderint. Quo audito postulant Judaei miraculum aliquod insignius, quo ipsis de Messiana et divina Christi dignitate innotescat, ob quod Moysen deserant, qui per quadraginta annos patres ipsorum in deserto cibo[1]) coelesti paverat. Ait Jesus: „Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum, panis enim Dei est, qui de coelo descendit et dat vitam mundo.“ Et hoc quasi propositio seu thesis est. Objectum pro-

---

[1]) Fatetur in „Midrasch Cohelet exposit. ecclesiast.“ Rabbi Berachia dicit nomine R. Isaac: „Sicut fuit primus Goel (Liberator), sic et secundus erit. Primus Goel descendere fecit manna, sicut scriptum est: Ego faciam vobis pluere panem de coelo, sic et alter Goel faciet manna descendere de coelo“ Cf. Schoffgenius „Horae Hebraicae et thalmud.“ Lips. 1733. t. i. p. 359.

pterea totius capitis panis eucharisticus est, ad quem refert fidem, quae absolute necessaria est in semetipsum, qui hunc panem proposuit et serius quoque fere omnibus verbis ad hunc panem alludit ejusque proprietates ac effectus, quem tam characteristice manna dato Hebraeis in deserto opponit.

In sequenti oratione duplici loquitur de cibo, qui confert vitam spiritualem, seu de pane vitae aeternae, et quidem in parte (v. 33—47.) agit de Christo, tamquam pane vitae aeternae in sensu translato, id est quatenus est objectum fidei nostrae, sic enim prosequitur: „Ego sum panis vitae (fons vitae, conferens vitam aeternam), qui venit ad me, non sitiet unquam," i. e. ego illum nutriam gratia omnis generis, quin imo ipsa mea carne, meoque sanguine, ubi inter illud „venire" et „credere" parallelismus existit, quae ergo idem significant.

Judaei revera haec recte intelligebant, uti patet ex responso, sed de una re dubitabant: „Quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem," hoc non intellexerunt, nam dicebant: „Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem. Quomodo vero dicit hic, quia de coelo descendi?" Christus vero in se credendi urget solemnissime claudendo: „Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam." Appellat fidem in se cibum vitae, scilicet vitae spiritualis, nam fides est fundamentum, radix initiumque justificationis.

In secunda orationis parte (v. 48.) loquitur iterum de cibo ut pane vitae, ast sub alio respectu, ne una vice amplius agens de fide, sed semper de manducatione panis vitae, deque fructibus manducationis atque expresse edicit: hunc, carnem suam esse. „Ego sum

panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita." Ex his apparet, panem a Christo dandum, longe illustriorem futurum, ac fuerit manna datum antiquis, scilicet majoribus Judaeorum.

Judaei revera intellexerunt de manducatione in sensu proprio, litigabant autem de modo, non de re, quo carnem ad manducandum dare possit. At Christus manet in propositione et ut clarius adhuc mentem suam aperiat, sexies idem repetit. 1. „Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis" (negative). 2. „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissima die" (positive). 3. „Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus." 4. „Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo." 5. „Sicut me misit vivens Pater et ego vivo propter Patrem et qui manducat me et ipse vivet propter me." 6. „Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum." Ne uno quidem verbo proinde significat se non de sua carne loqui. Situatio exhinc progressa respective ad auditores peraerumnosa erat, ast simul clara, quoniam verba Christi adeo perspicua sunt, ut nullo modo in dubium revocari queant. Hoc potissimum exinde patet, quod verba supra narrata multos quoque discipulorum adeo offenderint, ut ista durum sermonem dicerent, quem nemo

valet audire.[1]) Christus Dominus bene scivit tum Judaeos, tum discipulos exposita verba de carne ejus vera intellexisse, quin imo expertus est et tamen sensum verborum in continuatione sermonis nequaquam properat satagitque emollire, imo magis magisque confirmat dicens: „Amen, amen dico vobis etc.“, et in fine inconcusso animo percontatur obstupefactos Judaeos: „Hoc vos scandalisat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius?“

Durus erat hic sermo non in se, sed Judaeis crassis et duris, qui putabant carnem laniari dentibusque discerpi atque sanguinem bibi debere ad instar carnis sanguinisque bubulae necnon Thyesteae coenae, cujus postea ethnici christianos accusabant non intelligentes carnis Christi in ecclesia mysterium. Ast Christus tale quid non dixerat, nec asserere intendebat, sed volebat nos carnem suam comedere sacramentaliter, quod jam nullum causat horrorem.

Non minus inquietat auditores videturque difficile iis creditu ulterior pars sermonis, ubi de miraculo futuro, i. e. de ascensione loquitur, insinuaturque corpus clarificatum cum 4 suis qualitatibus addita quaestione: an tunc quoque impossibile vobis videbitur?

Ex miraculo ascensus sui in coelum recte probat Christus suam deitatem et omnipotentiam ac proinde mysterium Eucharistiae, deitati enim nihil impossibile est, quapropter potest carnem suam in cibum dare atque per illam mortuos resuscitare.

„Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam,“ i. e. humanum ingenium, sensus carnalis mysteria non assequitur, nisi Spiritus S. illustrans fidem excitet et det intelligentiam, est enim caro in oppositione

1) Joan. 6., 61.

ad spiritum infirmitas, peccatum ex carne ortum, spiritus vero illuminatio et gratia. Loquitur ergo de re supernaturali, ad quam credendam necessaria est illuminatio Spiritus S. „Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt," i. e. res et mysteria carnis meae in Eucharistia manducandae spiritus vivus et vivificans sunt, scilicet ipsa deitas mea, quae purus est spiritus, haec igitur vos in Eucharistia vivificabit, non nuda caro mea.[1])

Cumque ipsum multi relinquerent, sententiam suam haud revocat, sed potius ad discipulos conversus ait: „Numquid et vos vultis abire?" Respondet in nomine sociorum Petrus: „Domine ad quem ibimus, verba vitae aeternae habes et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus, Filius Dei vivi", quasi diceret, non quidem arcanorum tuorum verborum sensum assequimur, sed de tua divina dignitate plene persuasi, fidem tibi habemus, etiam abscondita mysteria proferenti. Non admiramur itaque, si manducantibus te conferas vitam aeternam, confers enim id ipsum, quod es.

Promissis suis fideliter stetit Christus Dominus in sermone illo modo expositis, in quo docuit: se esse panem vitae, quem manducaturi in aeternum vivent. Antequam siquidem ss. cor ejus in mari acerbarum afflictionum sanguineo submersum et per mortem fractum fuisset, in ultima coena, instituens sacrificium sacramentumque SS. Eucharistiae, hoc maximum ac dignissimum suae haereditatis bonum, olim scandalisatis discipulis modum quoque ostendit, quo se ad manducandum dare velit. In hoc grandi vitae suae momento

---

[1]) Schleusner in „Lex. Nov. Test." ad vocem σάρξ et πνεῦμα scribit: Σάρξ=pravitas, vitiositas humana; πνεῦμα=vis divina, qua homines adjuti proni et faciles redduntur ad complectendam et observandam religionem christianam.

instar crepusculi solis benefici magnificentissime advesperantis in plena omnium munerum suorum perfectione apparet. Docet, sacrificat, gubernat et prophetisat. Docet omnia abrogata esse sacrificia veterum et abhinc dumtaxat unum existere sacrificium in mundo, nempe pro peccatis humani generis morientem Filium Dei. Sacrificat semetipsum sub speciebus panis et vini; gubernat subditos suos fideles institutionibus concutentibus et praedicit proditionem Judae ac drama istud, quod proxima die perfecturus erat aliaque.

Nota. In ista igitur nocte Christus Dominus cum Apostolis suis secundum ritum paschalem ex lege Moysis et traditione compositum coenam legalem celebraturus incepit orare Ps. 113., 9.

Chr. (v. 9.) Non nobis Domine, non nobis,	Apost. R.	Alleluja.
„ Sed nomini tuo da gloriam.	„ „	Alleluja.
„ (v. 10.) Super misericordia tua et veritate tua	„ „	Alleluja.
„ Nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum Etc. Etc.	„ „	Alleluja.
„ (v. 17.) Domus Israel speravit in Domino:	„ „	Alleluja.
„ Adjutor eorum et protector eorum est,	„ „	Alleluja.
„ (18.) Domus Aaron speravit in Domino:	„ „	Alleluja.
„ Adjutor eorum et protector eorum est,	„ „	Alleluja,

Hic psalmus exemplar est nostrarum ecteniarum. Eo peracto Christus accepit panem, at nondum fregit, sed posuit illum in mensa. Deinde „accepto calice gratias egit, et dixit: accipite et dividite inter vos,“[1]) i. e. instruens Apostolos, ut postea cuncti ex hoc eodem calice biberent, quia secus apud coenam paschalem singuli e singulis bibebant calicibus; addens, ipsum nolle ex hoc calice bibere: „non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.“ Deinde juxta ritum legalem recitabant Ps. 114. et 115.

Chr. (1) Dilexi, quoniam exaudiet Dominus	Apost. R.	Alleluja.
„ Vocem orationis meae (etc.)	„ „	Alleluja.
„ Pro omnibus, quae retribuit mihi,	„ „	Alleluja.
„ Calicem salutaris accipiam,	„ „	Alleluja.
„ Et nomen Domini invocabo (etc.)	„ „	Alleluja.
„ Tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo	„ „	Alleluja.

---

[1]) Luc. 22., 17.

En exemplar pro oblationis oratione.

Modo dicebantur Ps. 116. et 117., qui forma sunt „praefationis“.

Chr.	Laudate Dominum omnes gentes	Apost.	R. Alleluja.
„	Confitemini Domini, quoniam bonus	„	„ Quoniam in saeculum misericordia ejus.
„	Dicat nunc Israel: quoniam bonus	Apost.	R. Idem.
„	Dicat nunc domus Aaron	„	„ Idem.
„	Dicant nunc, qui timent Dominum	„	„ Idem.
„	De tribulatione invocavi Dominum	„	„ Alleluja.
„	Et exaudivit me in latitudine Dominus	„	„ Alleluja (etc.)
„	(v.24.)Haec est dies,quam fecitDominus	„	„ Alleluja.
„	Exultemus et laetemur in ea	„	„ O Domine salvum me fac [Hosanna].
„	O Domine bene prospera	„	„ O Domine bene prospera.
„	Benedictus qui venit	„	„ In nomine
		„	„ Domini.
„	Benediximus vobis	„	„ De domo Domini.
„	Deus Dominus, et illuxit nobis	„	„ Alleluja.
„	Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris	„	„ Alleluja.
„	Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu et exultabo te	„	„ Alleluja.
„	Confitebor tibi, quoniam exaudisti me et factus es mihi in salutem	„	„ Alleluja.
„	Confitemini Domino, quoniam bonus:	„	„ Alleluja.
„	Quoniam in saeculum misericordia ejus	„	„ Alleluja.

Deinde sequebatur Ps. 135. „Confitemini Domino, quoniam bonus“ cum constanti responsorio: „Quoniam in eaternum misericordia ejus“ cujus loco etiam Ps. 134. poterat adhiberi, dicebaturque „Magnum Hallel.“ — Cum velut „regulam fidei“ populi Israelitici contineat, exemplar fuit pro canone in Liturgia, ubi fere eodem ordine, imo quandoque iisdem verbis ut in Psalmo Deus exaltatur in se, in creatione et operibus suis pro populo, ceu propter suas perfectiones, propter creationem, propter liberationem Israelitarum ex

captivitate et introductionem populi sui in terram promissam atque propter redemptionem ab inimicis.

Chr.	Confitemini Domino, quoniam bonus	Apost. R. Quoniam in aeternum misericordia ejus.
„	Confitemini Deo deorum	„ „ Idem. (etc.)
„	(v. 5.) Qui fecit coelos in intellectu	„ „ Idem.
„	Qui firmavit terram super aquas	„ „ Idem. (etc.)
„	(v. 10.) Qui percussit Aegyptum cum primogenitis eorum	„ „ Idem.
„	Qui eduxit Israel e medio eorum	„ „ Idem. (etc.)
„	(v. 21.) Et dedit terram eorum haereditatem	„ „ Idem. (etc.)
„	(v. 24.) Et redemit nos ab inimicis nostris	„ „ Idem.

Utique, ubi ut hic redemptio praedicatur, in liturgia recensetur opus redemptionis Christi completum.

Peracta igitur recitatione „magni Hallel“ usque ad v. 25., Christus accepit panem in manus suas et consecrans illum dicit: „Hoc est corpus meum“. Porro antequam adhuc corpus suum discipulis porrigeret, pari modo accepit et calicem dicens: „Hic est calix sanguinis mei“ etc., quibus protinus praeceptum quoque adjunxit: „Hoc facite in meam commemorationem,“ quapropter „Anamnesis“ haec in qualibet liturgia continetur.

His absolutis continuabatur ritus coenae paschalis ut sequitur:

Chr.	(v. 25.) Qui dat escam omni carni	Apost. R. Quoniam in aeternum misericordia ejus.
„	Confitemi Deo coeli	„ „ Idem.
„	Confitemini Domino dominorum	„ „ Idem.

Post „magnum Hallel“ dicebatur hymnus benedictionis: Chr. „Magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, Rex noster Deus, Rex magnus et sanctus in coelo et in terra; te enim Domine, Deus noster et Deus patrum nostrorum decet hymnus et honor, gloria et cantus, potestas et imperium . . . ab hoc nunc et in aeternum. Benedictus Dominus, Deus, Rex, magnus in benedictionibus, Deus gratiarum, Dominus mirabilium, qui beneplacens accipis hymnos cantici, Rex, Deus, qui vivis in aeternum.“

Apost. R. Amen.

Huic conclusioni concordat conclusio canonis liturgiae nostrae, glorificatione Dei in tribus personis completa.

Finita gratiarum actionis oratione Dominus „gratias egit et fregit“[1]) consecratum panem in plures particulas pro singulis apostolis. Ritus fractionis panis est magni momenti, nec in ulla liturgia deest.

Secundum ritum paschalem ante sumptionem paschalem haec benedictio vini erat dicenda: „Benedictus es Dominus, Deus noster, Rex mundi, qui creasti fructum vitis,“ cujus loco Christus certe huic mysterio adaptatam protulerat, quae dein exemplar facta est pro oratione ante communionem. Modo ss. corpus suum dedit discipulis suis; et accepto calice dedit eis, et biberunt ex eo omnes, quando nempe juxta ritum paschalem sumendus erat „calix Hallel“. Mox absolvebatur ritus coenae paschalis oratione gratiarum actionis ac supplicationis: „Benedictus es Domine Deus noster, Rex mundi ... Domine Deus noster, miserere nostri et populi Israel et civitatis tuae Jerusalem; quoniam tu Domine bonus es . . . ab aeterno in aeternum. R. Amen.“ Hujus loco iterum Christus procul dubio mysterio convenientem gratiarum actionis formam adhibebat, quae postmodum exemplar facta est „Postcommunionis.“

Per Eulogiam absoluta est celebratio coenae paschalis, dicente Evangelista.[2]) „Et hymno dicto exierunt“ nempe in montem Oliveti.

Haec coena totam J. Christi religionem continet et est revera coena charitatis, cum illi obstricti simus gratitudine, quod a Jesu incensus ignis charitatis in hoc suo commodo serviente mundo non est exstinctus, sed in bonum commune ulterius ardet.

In memorabili illa coena Christus Dominus reipsa contulit discipulis carnem suam ad manducandum et sanguinem ad bibendum; carnem inquam, quam paulo post daturus erat in cruce, et sanguinem, quem in remissionem peccatorum erat effusurus. Siquidem peracta pedum lotione, exemplo humilitatis vividissimo, dum mensae iterum accubuit, accepit panem, gratias agens benedixit, fregit et inter discipulos distribuit dicens: „Acci-

1) Luc. 22., 19.

2) Matth. 26,, 30.

pite et comedite, hoc est corpus meum etc." Deinde vero accepit calicem, gratias egit et dedit apostolis dicens: „Bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus etc.," quibus exhortatur Christus Dominus apostolos, ut manducent et bibant, quia panis et vinum jam corpus ac sanguis suus est. Proinde post coenam ipsam sensu strictiori, at convivio nondum soluto „coenantibus manducantibus illis„ Christus Dominus instituit sacrificium et sacramentum Eucharistiae.

O amor Jesu mei, quam immensus, quam admirabilis, quam inexsuperabilis es ab omni nostra ingratitudine? Multum dixit Sapiens[1]) de amore: „Fortis ut mors dilectio," ast nimis parum est id de tua dilectione dicere, utpote quae ipsa morte fortior est, quia non tantum perpetuo singulari amore nos amplecteris, sed adhuc miro in modo semper nobiscum vis manere. „Mira res et fide digna ac humanum vincens intellectum, quod tu Domine Deus meus, verus Deus et homo, sub modica specie panis et vini integer contineris et sine consumptione manducaris."[3])

Et communicabant omnes, etiam Judas, qui brevi misere proditurus erat Magistrum et qui per hoc nefas in aeternum typus illarum ramanet miserarum naturarum, apud quas etiam ipsius Dei testimonia de se naufragium patiuntur. Testis oculatus auritusque erat totius vitae innocentis Magistri, in quo nihil nisi manifestationem summae charitatis animadvertere potuerit, imo et panem accepit, de quo audiverat „hoc est corpus meum" bibit sanguinem Domini ex calice n. testamenti, et tamen hanc rebellem animam non poenitet et nihil videtur posse movere a perversis consiliis. Contumaciter resistit radiis

---

1) Cant. 8., 6.

2) Th. a Kempis. o. c. l. 4. c. 2.

divinae charitatis. Jesus in inexhausibili sua charitate non fatigatur per hanc crassam pertinaciam, sed cum dolore ulterius continuat opus liberandi discipulum dicens: „Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum“, imo et anathema ad commovendum discipulum adhibet per verba: „Et quidem filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: verum tamen vae homini illi, per quem tradetur.“ Quin potius Dominus misericors et ulterius memor est discipuli proditoris, nec desinit occupari eo, sed assidue operam ponit in eo liberando. Ast quemadmodum cunctis notum est, omnia haec tentamina irrita et absque optato effectu manserant. Potitus spiritu malo discipulus perversus pertinaciter resistit gratiae, totaliterque misericordiam exhausit divinam, ita ut Jesui non aliud remanserit, nisi id horrendi dicere: „Quod vis facere, fac citius.“

En exemplar boni pastoris patrisque spiritualis!

Relata Domini SS. Eucharistiam institutiva verba quemadmodum sonant, revera corpus et sanguinem Christi significant, quod adhuc magis confirmatur eo modo, quo Paulus et Lucas verba ad sanguinem spectantia referunt; videlicet: „Hic calix novum testamentum est in meo sanguine,“ i. e. hic calix confirmatio n. foederis est per meum sanguinem, qui in eo continetur, sicut enim Moyses in pangendo foedere sanguinem vituli et hirci sparsit in populum, haec verba proferens: „Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus“, ita Christus eandem adhibuit formam in coena ista mysteriosa et non alibi dicens: „Hic est sanguis meus novi testamenti.“

Valde conveniens fuit, ut SS. Eucharistia in ultima coena Domini non autem ante, vel post instituatur, quia

ut S. Thomas Aquin.[1]) inter caetera argumenta profert, tunc institui debuit, quando figurae veteris legis terminandae erant atque ut ex ritu, quo frequentandum est hoc sacramentum, ut ultimo traditum magis memoriae teneretur.

Laboremus paululum in enodandis hujus coenae partibus characterisantibus atque constitutivis.

I. „Et cum facta est hora, discubuit et duodecim apostoli cum eo.“[2]) In aeternum memorabilis coena, in cujus principio quemadmodum exegetae communiter interpretantur, divinum Salvatorem discipulis suis praeter generalem hujus relationem ad institutiones illas v. testamenti novum quoque momentum per ipsum recte tunc temporis specialiter additum fuisse ceu coenam hanc cum partibus suis tum antiqui, tum novi testamenti peregisse, ait enim: „Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.“ Et accepto calice, gratias egit et dixit: „Accipite et dividite inter vos.“[3])

Coena haec, uti omnibus constat, maximi ponderis et ad instar metae fuit, post quam celeri cum gressu decomponebatur deplorabilis illa tragoedia Salvatoris nostri, cum in hac fuerit Christus discipulis suis dilectis supremum veledicturus, cum haec esset adimpletio typorum antiqui testamenti, typumque ac introductionem coenae in aeternum duraturae coelestis.[4]) Hic in impletis mirabilibus mysteriis, — quorum haec coena in aeter-

---

[1]) 3. q. 72., 12. ad. 3.; q. 73., 50.; q. 74., 4. c. ad. i., q. 80. 8. ad. 1.; q. 63. 2. ad. 3.

[2]) Luc. 22., 14.

[3]) Luc. 15., 18.

[4]) Mat. 26., 29.

num testis manebit, — attigit supremum dilectio Domini erga discipulos culmen, etenim vita sua plus nemo potest dare.

II. Hoc eodem tempore etiam lationem peregit pedum cum eo fine, ut haec actio extraordinaria instar responsionis serviat litigantibus inter se discipulis, qua Salvator ostentative expressit fundamentales futurorum praesulum characteres, scilicet charitatem simul cum humilitate, quippe quibus praelati semper excellant oportet, cum finis muneris ecclesiam gubernandi nequaquam solummodo expletio vacui ambitionis, commoditatis, vel plane tyrannysmi sit, sed praeter gloriam Dei bonum fidelium sibi subditorum suaeque animae salus. Christus Dominus constituens in ultima coena sacerdotium, — hanc maximam pulcherrimamque potestatem, — pro suprema ei lege charitatem designavit, cujus clarissimum exemplar tunc ipse primum praebuit, cum ex charitate vitam pro ovibus suis posuerit. Etenim studium proprii boni arrogantiaque dumtaxat suum respicit quaeritque bonum, e contra charitas cunctis caeteris bonum optat operaturque; istud in dominio potestatis miseros concupiscit sibi servos, dum charitas cum potestate tantum ad alios liberos utitur reddendos; illi servitur, haec servit; illud timet atque curat vitam propriam, haec pro aliorum offert se bono. Verbis igitur factisque — sicuti consueuerat — docet et hic discipulos, ut deponant ipsis indignam arrogantiam, praebetque per proprium exemplum ad hujus vincendos stimulos quam potentissimam medelam in humili dilectione, diligendaque humilitate.

En exemplar praesulum ecclesiae nostrae!

III. Verborum institutionis modo audivimus expositionem, nunc jam id perpendere colligimus, quomodo se natura humana ad hoc sacrificium habeat? Ceterum me-

mini juvabit, theologos disceptare,[1]) utrum Christus verbis, nec ne, et quibus, si verbis usus est, consecraverit, quidam horum autumnantes Christum solo voluntatis imperio, vel nobis plane incognitis verbis Eucharistiam consecrasse. Major pars theologorum tamen sententiam tenet ss. patribus quoque probatam, scilicet iisdem ipsum in consecrando usum fuisse verbis, quibus etiam nunc utimur.

IV. Tam naturale est naturae humanae sacrificare, ut procul dubio asseverari queat, Christum non potuisse nos sine sacrificio relinquere. Desiderium siquidem sacrificandi tam alte est homini insitum, ut ab ipso avelli aut exstirpari prorsus nequeat. Quisque quippe hominum — ut jam supra monstravimus — quovis temporis momento se totum a Deo pendere, totumque Deo esse devictum sentit atque hinc ad Deum non tantum ore et mente seu cogitationibus verbisque, sed etiam facto ac opere colendum ejusque summam majestatem ac nostram subjectionem contestandam se obstrictum esse perspicit, quin imo ipsa natura sua ad id impulsum cognoscit. Inde explicatur, cur sacrificia externa apud omnes omnino populos, sive antiquos, sive recens detectos deprehendamus, prout hoc jam et Plinius observaverat. Porro quilibet corde sentit certissimumque persuasum habet, perverum esse dictum illud: „Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te,“ ac si diceretur, non est salus sine nostra propria cooperatione cum gratia divina, quae cooperatio eadem postulante natura etiam modo visibili manifestari, seu per facta se prodere vult. Nam non sufficiebat, ut Christus nos cruento crucis sacrificio redimeret, nobisque gratiam — qua Deo reconciliemur — promereret, sed necesse est, ut nos nosmet cum Christo

[1]) Schwetz. o. c. p. 297.

in cruce mortuo conjungentes hac gratia cooperemur, secus nihil nobis prodest redemptio nostrae salutis causa a Christo Domino perfecta. Id ergo postulabat, id exigebat natura humana, ut Deus aliquo modo placari possit et ut nos in amissum statum dilectionis iterum suscipiat, quod Christus Dominus abundantissime praestitit, quum in Eucharistia sub speciebus panis et vini, symbolis mortis, vere ac realiter praesens continuo se per sacerdotem sui vicarium tamquam hostiam placationis in cruce immolatam Patri exhibet, atque nos deinde sua carne ac proprio cruore reficit, sibique perfecte conjungit, ipso de se confitente: „Deliciae meae esse cum filiis hominum.“[1])

V. Restat nobis etiam de natura verborum institutivorum quiddam annectere. Verba institutiva verba omnipotentiae divinae fuerant maximam cum illis analogiam habentia: „Fiat lux. Et facta est lux.“[2]) Nam prout tunc, his prolatis, ex nihilo prodiit mundus, incepit existere, ita et nunc in momento, quo pronunciata sunt per omnipotens os verba: „Hoc est corpus meum,“ panis non ulterius panis manebat, sed in corpus Domini transsubstantiabatur, post verba vero: „Hic est sanguis meus,“ vinum non ulterius vinum manebat, sed sanguis Domini factus est. Siquidem omnipotens Verbum divinum potens ex nihilo mundum cum rebus visibilibus invisibilibusque producere, poterat etiam panem ac vinum in corpus sanguinemque Christi permutare et quidem ita, ut hoc idem corpus Jesu, quod B. V. Maria incepit, in Bethlehem peperit, quod tunc in Golgotha pro nobis crucifigendum erat, dieque tertia gloriose ressurrecturum, post 40 dies autem coelum ascensurum, ut hoc vivum ac adhuc glori-

[1]) Prov. 8., 31.

[2]) Gen. 1., 3.

ficandum corpus vi divinae omnipotentiae praesentiam suam multiplicet, ut quisque praesentium discipulorum sub speciebus panis vinique manducet eum.

VI. Verbis institutivis Christus subjunxit: „Hoc facite in meam commemorationem.“[1]) Sane non est dubium inter Christianos, quin Christus id agat, ut mortis ab ipso pro nobis perpessae eo in mysterio memoria remaneat docente Apostolo[2]) ex hisque verbis inferente, nos hoc sacramento percipiendo „mortem Domini annunciare.“ Quemadmodum enim Judaei, cum pacificis vescerentur hostiis, immolatas pro se meminerant, sic nos cum Christi victimae nostrae carnem comedimus, mortuum illum pro nobis debemus recordari. Ulterius verbis his Dominus apostolis et horum successoribus in sacerdotali dignitate mandatum dedit usque ad ejus adventum in fine saeculorum „hoc“ facere, i. e. perpetuo eucharisticum oblatum offerre, quod ipse ante eorum oculis obtulerat, juxta illud:[3]) „Qui (Jesus) formam ***sacrificii perennis*** instituens hostiam se tibi Deus primum obtulit et primus docuit offerri.“

Per hoc praeceptum praebuit Dominus illis simul potestatem quoque consecrandi offerendique, seu fecit eos sacerdotes novi testamenti.

VII. Eucharistia etiam adjunctis sacrificiorum seu ritibus sacrificandi antiquae legis pollet. Analogia in cunctis rituum actibus clare demonstrari potest.

1. Offerens victimam integritate phisica perfectam debuit ad atrium ducere, quod praeclare figuratur in liturgia nostra per proscomidiam, ubi panis et vinum

---

1) Luc. 22., 19.; I. Cor. 11., 24.

2) I. Cor. 11., 26.

3) Liturgia Gallicana.

praeparatur ad sacrificandum. Caput victimae ad sanctuarium versum est,[1]) sic et Christi in disco.

2. Legitur: „Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto,“[2]) ergo pristina oblationum conditio mutata est in sanctum, in donum Dei, in sanctum sanctorum, uti audimus; in liturgiis nostris haec mutatio conditionis materiae per transsubstantiationem in sanctum sanctorum etiam contingit.

3. Per impositionem manuum capiti victimae offerens symbolice hanc in locum sui substituebat; quid aliud fit in liturgia, quam substitutio Christi pro nobis?

4. Sparsio sanguinis et per partem effusio ad basin altaris praeclare ostendebat cruentam Christi occisionem in cruce, qui in saecula quotidie immolatur in liturgia pro nobis.

5. Ultimus actus combustio erat, vel alter annihilationis modus, in nonnulis manente parte pro sacerdotibus, altera vera in escam offerentium cadente. In novo testamento totum sacrificium Deo offertur ad beneplacitum, et totum traditur fidelibus cum eo fine, ut non dividatur, cum quot-quot sint participes, unusquisque eorum totum sacrificium, totum Christum consumet secundum verba in fractione hostiae per sacerdotem proferenda: „Frangitur et dividitur agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur at non comminuitur, etc.“

5. §.

De effectibus et characteribus sacrificii novi testamenti.

Opus redemptionis generis humani per mortem Christi cruentam in cruce objective finitum est. Dicimus

[1]) Lev. 1., 3.; 4., 14.

[2]) Ibidem 6., 17.

per „mortem", quia sola hac et non per adjunctas passiones adepta est nobis salus. Non sufficit enim ad redemptionem, ut aliquod pretium correspondentis magnitudinis solvatur, sed necesse est, ut hoc ad finem ordinatum sit quoque. Exinde observat S. Thomas:[1]) „Si loquamur de redemptione humani generis quantum ad quantitatem pretii, sic quaelibet passio Christi etiam sine morte suffecisset ad redemptionem humani generis propter infinitam dignitatem personae. Si autem loquamur quantum ad deputationem pretii, sic dicendum est, quod non sunt deputatae ad redemptionem generis humani a Deo Patre et Christo aliae passiones Christi absque morte... Ideo humanum genus non est redemptum per aliam passionem absque morte."

Conticestentibus quare verbis de cruce „consummatum est,"[2]) apertae sunt iterum portae coeli. Christus placavit nos Deo Patri: „Delens, quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci,"[3]) ita, ut nunc jam solum a nobis pendeat salus nostra aeterna. Ibi prolixe meruit Christus omnibus veniam peccatorum, gratiam santificantem atque salutem, ast merita ipsius applicentur oportet singulis, ut liberentur a peccatis, gratiam accipiant salvique fiant; id est opus redemptionis objective finitum debet etiam subjective super singulis hominibus exequi ac impleri, dicente apostolo:[4]) „Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis aeternae."

Necesse est itaque obtemperare ei, seu obediendo

---

[1]) Quodlib. II. a. 2.
[2]) Ioan. 19., 30.
[3]) Col. 2., 14.
[4]) Hebr. 5., 9.

ordinationibus ejus cuncta servare mandata facereque. Nec sufficit qualiscunque gradus virtutis obedientiae, sed tertius, seu coeca obedientia requiritur, per quam homo totaliter abnegat[1]) semetipsum offeratque holocausti instar Deo, non temere judicando de rebus capacitatem intelligentiae ejus longe superantibus, sed humiliter obediendo unicae verae conscientiarum directrici, scilicet: s. matri ecclesiae, quemadmodum pastori suo oves obtemperant, viam quamcunque ille vult ingredientes. Hujusmodi obedientia absolute postulat, ut a Christo statutis ac ordinatis salutis mediis devote utamur, acceptaeque gratiae usque ad finem fideliter cooperemur, quod fit per constantem vigilantiam, orationem, laborem, passiones et pugnam, nam vita aeterna non est pro nobis mera haereditas, non purum divinae gratiae donum dumtaxat, sed simul premium, de quo nobis bene meritos oportet esse, atque corona justitiae, quam nos per dignam pugnam adepturi sumus. Siquidem superfluae satisfactiones meritaque Christi non auferunt nobis officium cooperandi, eo minus obligationem Deo pro peccatis satisfaciendi meritaque pro salute colligendi, quamvis haec omnem suam vim pretiumque ex Christo habeant, observante S. Thoma[2]) ut sequitur: „Meritum Christi sufficienter operatur, ut quaedam causa universalis salutis humanae; sed oportet hanc causam applicari singulis per sacramenta et per fidem formatam, quae per dilectionem operatur. Et ideo requiritur aliquid aliud ad salutem praeter meritum Christi, cujus tamen meritum Christi est causa. Media haec salutis: oratio, bona opera, sacramenta et sacrificium missae veluti canales sunt, per quae nobis gratiae a Christo in cruce passo promeritae abundanter

[1]) Müller o. c. t. 2. p. 291.

[2]) De verit., q. 29., a. 7. ad. 8.; Trid. sess. 14. cap. 8.

et mystico quodam modo proluunt. Merito canitur exinde in dominica palmarum a Latinis:

„Ave signum Crucis, dignum
Laude populi fidelis,
Quae canoris quoque choris
Pie coleris in coelis:
Dux in via nobis pia
Lux et scutum esse velis,“[1])

quia per redemtionem in cruce factam meremur nos omnem gratiam in praesenti et gloriam in futuro.

Si comparetur sacrificium missae cum sacrificio crucis, respondendum est: haec in re oblata convenire; non ergo specie, sed tantum numero differre, ut Tridentinum[2]) docet: „In divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum obtulit . . . Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.“ In utroque offertur Christus, sed modo diverso; in cruce modo cruento, in missa vero incruento. Proinde recte asseveratur, missam non tantum repraesentationem esse sacrificii crucis, sed simul continuam repetitionem. Oblatus est Christus secundum aeterna Patris consilia ad redimendum genus humanum semel in cruce, quoniam per hoc reconciliatus factus est Pater nobis, ast ut merita ejus in cruce parta nobis applicentur, necesse est, ut in Eucharistia continuo offeratur. Christus in cruce modo existentiae naturalis fuit praesens, in Eucharistia modo praesentiae sacramentalis, scilicet sub velamine panis et vini. Ibi mortalis passibilisque, hic vero immortalis impassibilisque est. Sacri-

1) Florale Poeseos Christianae. Banzani, 1883. p. 191.
2) Sess, 22. cap. 2.

ficium crucis est cruentum, Eucharistiae vero incruentum et illius tantum imago. Ibi cruenta morte pro nostra salute mactatur redemptionemque nostram effecit, hic vero tantum tamquam pro nobis immolatum sistitur fructumque redemptionis nobis applicat. Illic ergo satisfactorium et de condigno meritorium, in missa applicativum, nam in cruce solutum est sufficientissimum salutis nostrae pretium; in missa illud nobis applicatur. In cruce se obtulit Christus immediate, in Eucharistia se offert ministerio sacerdotis, qui ejus ministerio fungens non suo, sed Christi nomine consecrat. Sacrificium crucis est absolutum, „quod tale est per se, sine relatione ad alterum,“[1] non ergo significativum vel repraesentativum alterius sacrificii; dum sacrificium missae quamvis verum ac proprium, tamen solummodo relativum seu commemorativum sacrificii crucis, quoniam „rem in sacrificio absoluto oblatam ceu talem per eam ipsam mystice, seu in symbolo exhibet.“ Differunt quoque variis circumstantiis, puta loci, caeremoniarum, etc.

Effectus sacrificii crucis, utpote qui est objectivus, infinitus; missae autem tamquam subjectivus, finitus est et secundum capacitatem objecti diversus, quippe qui per medium orationis operatur, cujus effectus dependet a capacitate petentis.

Dignitas utriusque sacrificii eadem est, quia in utroque J. Christus est offerens et oblatum. Tamen sacrificium missae non omni sub respectu est unum, cum actio sacrificalis multiplicetur. In unaquaque autem missa Christus de novo destruitur, sic secundum numerum actionum sacrificalium multiplicatur sacrificium, licet una eademque res semper sacrificetur.

Junctim cum dictis non possumus praeterire quae-

---

[1]) Schwetz, o. c. p. 59.

stiones de relatione sacrificii missae ad sacrificia Mosaica coenaeque et ad sacramentum SS. Eucharistiae, dicimusque hoc a sacrificiis Mosaicis prorsus discrepasse, non tantum specie, sed omnibus quoque adjunctis. Aliter se habet res quoad comparationem cum ultima coena, asserendumque est haec tantum respective ad accidentalia, non autem quoad substantiam modumque offerendi differre. In utraque Christus est offerens et oblatum cum illo tamen discrimine, quod in ultima coena Christus se immediate et ut mortalem obtulerat; in missa vero mediate, seu per manus sacerdotis et quidem non jam ut moriturum, sed in statu quodam mortis se offert; hic jam immortalis atque gloriosus est. Illud meritorium satisfactoriumque erat, hoc autem tantum applicativum est, quia nunc Christus non amplius in eo statu est, in quo mereatur et satisfaciat, sed sacrificio eucharistico utitur, ut merita passionis nobis applicet.

Sacrificium coenae mortem Christi ut futurum repraesentat; sacrificium missae vero ut praeteritum est vera imago repetitioque illius, dum sacrificium coenae non fuit imago alterius sacrificii incruenti, sed veritas, veterum nostrique exemplar. Sacrificium nostrum etiam veritas est respectu sacrificiorum a. testamenti, ast simul vera imago non tantum sacrificii crucis, sed illius quoque oblati in ultima coena. Maxime vero discrepant quoad circumstantias morales physicasque, ut sunt ritus, apparatus, tempus, locus etc. Ergo nulla essenitalis, sed tantum accidentalis differentia est.

Ad quaestionem, utrum aliquid discriminis existat inter sacrificium et sacramentum eucharisticum, sequenti respondemus. SS. Ericharistia hoc characterisans peculiareque prognosticon (προγνωστικόν) habet, quod non solummodo sacramentum sit omnium, quae Christus

constituit, longe praestantissimum, sed insuper sacrificii quoque rationem habeat. Inde Tridentinum:[1]) „Si quis dixerít, in Missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.“

Discrepantiam harum duarum SS. Eucharistiae rationum in sequentibus proponimus.

Sacramentum consistit in re permanente, sacrificium in actione victimae sacrificativa et transeunte. Omnis vis sacrificii in eo est, ut offeratur, quare. SS. Eucharistia ut „viaticum“, vel dum in pyxide continetur, non habet sacrificii rationem, sed sacramenti. Sacramentum existit et sub una specie, dum ad sacrificium absolute requiritur consecratio utriusque speciei. SS. Eucharistia quatenus sacramentum est, ad nostram sanctificationem est institutum et iis, qui divinam hostiam sumunt, meriti causam affert omnesque utilitates notas sub effectibus SS. Eucharistiae, quemadmadum sunt: 1. intima fidelium cum Christo conjunctio,[2]) 2. gratia,[3]) 3. remissio venialium peccatorum,[4]) 4. quod digne recipientes a peccatis futuris praeservet,[5]) 5. tandem quod vim maximam habeat ad aeternam vitam comparandam.[6])

Eadem quatenus sacrificium est, per se et primario ad Dei cultum ordinatur, atque non tantum merendi, sed satisfaciendi quoque efficientiam continet,[7]) cum idem Christus pro nobis laudes, gratiarum actiones, satisfactiones atque supplicationes offerat; unde dicitur sacri-

1) Sess. 22. cap. 1.

2) Ioan. 6. 57.

3) Cat. Rom. p. 2. c. 4. n. 50.

4) Trid. sess. 13. cap. 2.

5) S. Chrysost. Hom. 61. ad popul. Antioch.

6) Ioan. 6. 68.

7) Catech. Rom. p. II. de Euch. qu. 77.

ficium esse latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium. Demum sacramentum ex opere operato prodest soli suscipienti; sacrificium vero non soli celebranti, sed aliis quoque.[1])

Ex modo dictis liquet in Eucharistia omnes a. testamenti sacrificiorum characteres contineri. In genere triplex impressus est character sacrificio: latreuticus, eucharisticus et impetratorius, cui post lapsum quartus specialis, scilicet propitiatorius accessit, ad reconciliandum nempe ac propitium reddendum Deum.[2]) Omnes hi enumerati characteres in sacrificio missae inveniuntur.

Adest 1. character latreuticus, quia sacrificium missae offertur ad Deum laudandum, quem finem quam maxime promovet realis Christi mortis repraesentatio, nihil enim est, quo magis divina majestas palam declaretur, quam mors Christi, secundum aeternum Patris consilium ab Eo subita; ergo nihil potest aptius ac convenientius esse ad Deum celebrandum gratiasque Ipsi agendas, quam ipsam mortem Christi Deo offerre, monente apostolo[3]) quoque: „Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum."

In exordio operis nostri ostendimus, omnes creaturas pro hoc fine, scilicet ad laudandam Dei gloriam creatas fuisse. Et reapse hoc idem ab universo mundo operatur. Murmurantia maria, usque ad coelum se extendentes arduique montes, susurrantes rivuli, placidae valles, umbrosae silvae campique ridentes, spicae per ventos agitatae ac fluctuantes, plantarum flores, aves canentes nugientesque leones, cuncti hi in plenissima atque

---

1) Schouppe, o. c. 2. p. 278.

2) Danko, o. c. p. 155.; Vaughan o. c. p. 62.

3) Col. 3. 17.

admirabili harmonia Deum celebrant juxta illud:[1]) „Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula". Huic laudi serviunt livens coeli serenitas claraeque solis luces, nubeculae candidae coelo sereno globatae horridaque tonitrua, aurora et crepusculum, coecantia fulgura necnon mystici splendoris radii noctu in horizonte nictantium stellarum annuntiant et „enarrant gloriam Dei,"[2]) quam magnus et excellens sit Deus noster. Sancti in coelo contremiscunt in laeto timore cadentes ad thronum Patris aeterni simul cum viribus coelestibus exaltantes Eum hymno angelico: „Sanctus, sanctus, sanctus Deus Sabaoth."

Nihilominus, licet tam grandis et magnifica sit glorificatio Dei ex parte creaturarum tum in coelis, tum in terra, tamen quid est hoc ad comparandam majestatem illius, qui solus est magnus ac infinitus. „Herr — orat beatus Henricus Seuse — wenn dich Cherubim und Seraphim und die grosse Zahl der hohen Geister alle loben nach ihrem allergrössten Vermögen, was können sie denn mehr thun gegen deine allem Lobe unerreichbare, unermessliche Würdigkeit, als die allermindeste Creatur? Wer dich wähnet nach Würdigkeit zu loben, der thut wie der, welcher dem Winde nachjagt und den Schatten ergreifen will."[3])

2. Adest character eucharisticus ad gratias agendas secundum id Apostoli: „Omne quodcunque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini nostri J. Christi gratias agentes Deo et Patri per ipsum", id est ipsius mortem in gratiarum actionem offerendo, quocirca animadvertente Magnasco:[4]) „Habet specialem rationem

---

[1]) Dan. 3., 57.
[2]) Ps. 18., 2.
[3]) Denifle, Das geistliche Leben p. 487.
[4]) Inst. Theol. t. 4. tr. 4. c. 2. q. 1. n. 7.

gratiarum actionis pro immenso redemptionis beneficio, unde quasi proprio nomine sacrificium eucharisticum nuncupatur."

Officium gratitudinis etiam nullo alio modo possumus tantopere explere, quam per sacrificium altaris, in quo Deo gratias recompensamus, cum ille sit maximus noster benefactor, tum respecta ipsius sublimitate, quae infinita est, tum quoad bona ab Ipso nobis collata, quae plane innumera sunt, sive vero consideremus Dei benefacientis affectum, qui est summa benignitas et liberalitas erga nos non raro prorsus indignos, equidem non ut Ipsi inde mêlius sit, sed ut nobis sit quam optime „propter nimiam charitatem suam."[1])

3. Adest character impetratorius ad nova beneficia impetranda et spectat ad viventes. Sequitur ex eo, quod sicut olim victimae pro peccato et hostiae pacificae pro impetrandis a Deo beneficiis offerebantur, ita nunc SS. Eucharistia tum pro peccatis, tum pro consequendis beneficiis offeri potest. Et revera ecclesia in praxi semper utebatur hoc sacrificio ad varia dona a Deo impetranda. Sic Tertullianus[2]) scribit: „Offerimus pro salute imperatoris, pro ecclesiae pace, fructibus terrae etc", cum ecclesia immobilem persuasum habeat, ipsum Filium Dei coram Patre suo cum omnibus meritis passionibusque infinitis se sistere, qui et monet nos: „Quodcunque petieritis a Patre in nomine meo, hoc faciam vobis."[3]) Quod itaque diximus de charactere latreutico et eucharistico, hoc idem asserimus etiam de impetratorio, nimirum: quod nihil potest esse ad nova beneficia impetranda efficacius, quam

---

1) Eph. 2., 4.

2) Ad Scapul. c. 2. opp. V. 1. p. 129.

3) Joan. 14., 13.

mors Christi, — qua nobis gratiam divinam et omnia alia beneficia comparavit, — ab ipso in SS. Eucharistiae sacrificio Patri modo incruento exhibita.

4. Adest character propitiatorius ad Deum propitium nobis reddendum, spectatque tum ad vivos, tum ad defunctos decidente Tridentino[1]) ut sequitur: „Si quis dixerit Missae sacrificium esse tantum laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis et satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit," quae decisio superstructa est antiquissimae praxi ecclesiae pro defunctis offerendi sacrificia, cujus mentionem inter alios et Cyrillus Hier.[2]) facit dicens: „Χριστὸν ἐσφαγισμένον ὕπερ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτημάτων προςφέρούμεν ἐξιλεύμενοι ὑπὲρ αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον θεόν;" Latine: Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum pro illis (defunctis) tum pro nobis propitiare satagentes.

Idem postulat relatio mutua, quae est inter sacrificium nostrum veterisque testamenti sacrificia, quae licet solum umbrae fuerint et figurae nostrae oblationis mundae, tamen rite oblatae vim habuerant Deum placandi. Quapropter ut patres passim docent, nostrum unicum et juge sacrificium, succedens in locum omnium veterum hostiarum atque earum differentias omnes in se colligens, eo magis illos effectus producat oportet; seu prout olim victimae pro peccato et hostiae pacificae pro impetrandis a Deo beneficiis offerebantur, ita nunc SS. Eucharistia tum pro peccatis offerri possit, tum pro

---

1) Sess. 22. c. 3.

2) Catech. mystag. 5.

consequendis beneficiis[1]). Respective ad sacrificium crucis notare juvabit: alio sensu fuisse propitiatorium sacrificium hoc et alio est missae, cum haec offeratur ad impetrandam nobis aliisque illius alterius infiniti pretii applicationem, est itaque ex voluntate Christi veluti instrumentum, quo merita passionis mortisque suae nobis applicantur,[2]) per sacrificium crucis enim reconciliatio nostra cum Deo facta est. Ex quibus sequitur, si missae devote adsimus, efficitur, ut Deus nobis poenitentiae donum concedat, per quam a peccatis, puta venialibus immediate liberamur, aut vero ad reconciliationem cum Deo per rite susceptum sacramentum poenitentiae praeparamur, cum — uti optime notum est — sacrificium missae non immediate operet gratiam, manifestantem se in remissione omnium peccatorum mortalium, prout hoc contingit in sacramentis Baptismi et Poenitentiae, sed mediate tantum, scilicet per vim impetrationis; vel brevius: sacrificium missae neque ex opere operantis, neque ex opere operato, sed per modum suffragii operatur. Concludimus: per sacrificium crucis reconciliatio nostra cum Deo generatim et objective promerita est, per sacrificium missae vero hujus promeritae reconciliationis, seu propitiationis applicatio singulis subjective impetratur et fit.

6. §.

Testimonia ac denominationes liturgiae.

Missa haec socialis forma precum, quae est revera centrum culmenque cultus divini et sol omnium exerci-

---

[1]) S. Ambrosius, De off. ministr. l. i. c. 48.; S. August. Quaest. in Lev. l. 3. q. 57.; Gregorius M. Dial. l. 4. c. 58.

[2]) Trid. sess. 22. c. 2.

tiorum spiritualium, Dei dona et gratias abunde in nos diffundens: „Est sacrificium novae legis, in quo Christus sub speciebus panis et vini, velamine mortis, realiter praesens, tamquam pro nobis passus ac mortuus Patri modo incruento offertur."[1]) Missam verum novae legis sacrificium esse constat ex definitione ecclesiae in Trid.:[2]) „Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam Christum nobis ad manducandum dari, anathema sit".

Typi et prophetiae de SS. Eucharistia simul cum homine incipiunt existere, seu origo eorum usque ad paradisum se extendit, (Cf. relationem de πρωτοευαγγελίῳ),[3]) et continuantur in antiquo testamento fere apud omnes prophetas.

Praecipua testimonia sunt in ant. test.: Gen. 4., 4.; Exod. 12., 21.; 16., 13., 14., 15.; 17., 5., 6.; 24., 8.; 25., 30.; Ps. 21., 26., 27., 30.; 23., 9.; 35., 9.; 50., 20., 21.; 77., 25.; 110., 4., 5. Eccli. 24., 29.; Isai. 6., 7.; 19.; 21.; 25., 6., 7.; Jer. 33., 17., 18.; Zach. 9., 17. Malach. 1., 10., 11.; IV. Esdr. 1.; 19.

Ex novo testamento adducimus: Matth. 6., 11.; 22., 2., 3., 8.; 26., 26—28.; Marc. 14., 22—24.; Luc. 14., 16.; 22., 19., 20. Ioan. 6., 32—38.; 19., 34.; Act. Ap. 2., 42—46.; I. Cor, 10., 16., 17., 21., 22.; Hebr. 13., 10. Apocal. 2., 17.; 19., 7., 9. etc.

Finis ejus sublimis et multiplex jam ex dictis luculenter apparet. Voluit enim Redemptor noster omnes typos et prophetias a. testamenti implere, antequam novum et in omnes aetates duraturum institueret sacramentum, voluit agnum paschalem prius comedere, quam

---

1) Schwetz, o. c. p. 59.

2) Sess. 22. c. 1.

3) Gen. 3., 15.

ipse agnus sine macula se ipsum primum in hoc sacrificio incruento, tum in crucis altari pro nobis offerret; voluit corpus suum et sanguinem testamento nobis relinquere et ideo ante passionem imminenteque jam morte instituit hoc sacramentum, — testamentum enim fit ante mortem et mortis causa; — voluit porro „Christus Dominus sub speciebus panis et vini, symbolis mortis suae, semper nobis praesens esse, ut nullo unquam tempore etiam modo visibili a suis cultoribus abesset, ut tali modo ecclesiae perpetuum sacrificium relinqueret, quo illud semel in cruce oblatum instauraretur, ejusque memoria usque in finem saeculorum quotidie summa cum utilitate ab ecclesia per universum orbem terrarum diffusa coleretur, et ut coeleste animae nostrae alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus“,[1]) et ut certissimum futurorum bonorum pignus sit. Quapropter SS. Eucharistia tum sacrificium, tum sacramentum est, — nec est realiter diversum in ea sacrificium a sacramento, cum unum idemque sit quod consecratur, offertur et sumitur, itaque non est mirum, quod quaedam vocabula sacramento qropria, praesertim correlativas ideas exprimentia, etiam ad designandum sacrificium adhibita fuerint, intelligiturque, cur SS. Eucharistia, prout sacrificium est, tam variis multisque nominationibus a priscis patribus designetur. Ex quibus praecipuae sunt, ut sequitur:

1. **Μυσταγογία**, secreta actio, seu introductio ad mysteria, unde mystagogicae dictae sunt quaedam catecheses S. Cyrilli Hierosol.

2. Σύναξις, sive collectio, apud Latinos communio, tum quia fideles olim simul congregabantur, ut SS. Eucharistiae participes fiant, tum vero quia eosdem cum

---

[1]) Schwetz, o. c. p. 56. sq.

capite Christo et inter se arctissimo vinculo conjungit secundum illud:[1]) „Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus." Quare merito S. Augustinus exclamat: „O sacramentum pietatis! O signum veritatis! O vinculum charitatis!"

3. Τελετή, quod idem est, significans simul initiationem, consecrationem, perfectionem.

4. Ἱερουργία, a verbo ἱερουργεῖν=sacra facio, sacris operor, ad significandum sacrificandi corpus et sanguinem Christi in consecrationem hominum, propter quam institutio haec parata est.

5. Εὐλογία=benedictio, a verbo εὐλογεῖν, juxta id apostoli:[2]) „Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est." Communiter tamen Eulogiae vocabantur illae consecratae SS. Eucharistiae partes, quae in signum mutuae communionis et charitatis ad absentes episcopos presbyterosque mitti solebantur.

6. Pascha nostra. Nomen procul dubio ab agno paschali legis veteris, typo J. Christi sumptum.

7. Εὐχαριστία, i. e. gratiarum actio pro acceptis beneficiis, quae Deo vel hominibus praeparatur; hic utique Deo.

8. Τὸ ποτηρίον εὐλογίας, cf. supra dicta sub voce εὐλογία.

9. Κοινονία, idem ac communicatio, fruitio, secundum verba Act. ap.[3]): „Καὶ τῇ κοινονίᾳ καὶ τῃ κλάσει τοῦ ἀρτοῦ, ad verbum= et communicatione et fractione panis.

10. Τράπεζα, proprie mensa quaecunque, cui aliquid imponitur, κατ' ἐξοχήν vero mensa in sancto templi Hierosolymitani, cui imponebantur panes sacri οἱ ἄρθοι τῆς

---

[1]) I. Cor. 10., 17.

[2]) Ibidem, 10., 16.

[3]) Act. ap. 2., 42.

προθέσεως. Τράπεζα Κυρίου=coena Domini opponitur τῇ τραπέζῃ δαιμονίων, hoc est coenae sacrificali gentilium, seu cibis, Diis ethnicorum sacris.[1])

11. Κλάσις τοῦ ἄρτου, hoc est fractio panis, sic appelata de illo Christi actu, quod ille in ultima coena etiam fregerit panem, quod exemplum imitatur et ecclesia frangendo hostiam.

12. Θυσία, proprie mactatio, metonymice ipsa victima, hostia, quae mactatur in honorem Dei et respondet Hebraicae צֶבַח (zebach); metaphorice omnis res in honorem Dei consecrata. Vocatur θυσία λογικὴ καὶ ἀναιμάκτη, a) quoniam offertur in ea Verbum Dei, cujus sacrificium perficitur hic verbis et orationibus et spiritu contrito, unde et spirituale sacrificium dicitur; b) sacrificium incruentum, cum non fiat in eo fusio sanguinis instar consuetudinis ant. test., sed juxta Christi institutionem panis et vinum per consecrationem sacerdotalem in corpus et sanguinem Dominicum mutandae offeruntur.

13. Δωρέα, δῶρον, ambae voces significant donum, munus, beneficium; sensu latiori: omne sacrificium, quod Deo offertur; in sacra scriptura adamussim concordat cum supra laudata voce θυσία.

14. Ἐφόδιον, i. e. viaticum, probabiliter inde sic nominatum, quia est cibus morituris necessarius ad viam in aeternam patriam ducendam, viaticum enim docente Angelico[2]) est praefigurativum fruitionis Dei, quae erit in patria . . . et hic praebet nobis viam illuc perveniendi."

15. Ἀῤῥαβών, vox origine Hebraica עֵרָבוֹן ab עָרַב= fide jubere, spondere; in genere pignus, tropice autem omne, quod est instar pignoris, dicente apostolo:[3]) „Qui

---

1) II. Cor. 1., 21.

2) III. p. q. 73. a. 4. ad. 2.

3) II. Cor. 1., 22.

et signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris," quoniam revera pignus et sponsatio est nobis corpus et sanguis Christi, instar annuli inter sponsum sponsamque, conjuncta cum felici spe futurae ac perfectae beatitudinis in coelo.

16. Sed omnium frequentior est vox Λειτουργία inter nos Graecos, quae apud grammaticos quodcunque publicum opus denotat et ex hinc in novi testamenti libris in munus sacerdotum publicum transfertur, ut verbi gratia:[1] „Ἐπλήστησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ=peracto tempore ministerii sui". Procedit a vocibus: λεῖτον ἔργον=publicum opus. Strictiore sensu ab ecclesia ad cultum publicum denotandum adhibetur ac speciatim sacrificium eucharisticum significat.

17. Ab effectu vocatur Gratia, vel sacramentum gratiae, antonomastice scilicet, ut observat S. Thomas: propter excellentiam hujus sacramenti.

18. Denique Ἀγάπη, sive dilectio, aut charitas, quam in digne suscipientibus causat. Saepius tamen nomine Agapes venit convivium, quod veteres in signum mutuae charitatis post mensam eucharisticam in templo celebrabant. „Statis diebus, — ait S. Chrysostomus[2]), — mensas faciebant communes, et peracta Synaxi, post sacramentorum communionem inibant convivium, divitibus quidem cibos suppeditantibus, pauperibus vocatis et omnibus communiter vescentibus." Et ante illum Tertullianus in Apol.: „Coena nostra de nomine suo rationem sui ostendit: vocatur enim ἀγάπη, quod est aqud Graecos dilectio, quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes refrigerio isto juvamus."

19. Latini communiter voce „Missae" utuntur, quod vocabulum alii ab Hebraico מִסָּה (misach)=oblatio, seu

---

1) Luc. 1., 23.

2) Hom. 17. in I. Cor.

donum spontaneum, alii a voce Graeca μυέω=sacris initio, derivare volunt, ast absque justo fundamento, nemo enim e Graecis scriptoribus voce „Missa“ usus est, quod satis ostendit, eam non Graecae originis esse, nec Hebraicae, quia etiam Hebraica vocabula ab ecclesia catholica retenta, — ut sabaoth, alleluja, amen, etc., — Graecorum interpositu ad nos pervenerunt. Utique compellatio „Missae“ anceps et obscura est. Verosimiliter istud origine Latinum[1]) et a verbo mittere est derivandum, ita scilicet ut „Missa“ sit idem ac missio, sicut remissam pro remissione dicebant antiqui,[2]) aut collectam pro cellectione,[3]) deductam pro deductione[4]) et quidem ideo, quia adest tum missio precum populi per sacerdotem ad Deum; tum Chrisli, qui missus est a Patre ad nos; tum ejusdem Christi a nobis ad Deum ad placationem solutionemque inimicitiarum inter Deum et homines; tum catechumenorum, qui post evangelii lectionem, seu rectius hoc subsequentem contionem a diaconis dimittebantur; tum populi fidelis in fine post peractam rem divinam.

Hujus vocis rationem optime explicare mihi videntur censentes illam ab ipso vulgo introductam fuisse, sumptamque a publicis istis verbis, quae in fine dicuntur: „Ite. Missa est“[5]) i. e. vobis abire licet, quia facta est missa seu dimissio, siquidem christiani non recede-

---

[1]) Vaughan o. c. p. 7.: „The word Mass is derived from Missa, and Missa most probably from Missio, the dismissal after the Sacrifice. The use of the Latin word in this sense began at least in the 2-nd century. Pope S. Pius I. used it in a letter written in 166.

[2]) Scriptores Africani. Tertull. lib. 4. contra Marc. Cyprianus De bono pat.

[3]) Cicero lib. III. de orat.

[4]) Idem lib II. de legibus.

[5]) Rácz András, Liturgika p. 148.

bant a loco sacrificii, nisi acepta prius abeundi licentia. Unde S. Joannes Chrisostomus: „Ingressus es in ecclesiam; ne eas, nisi dimittaris."

7. §.

Modus liturgisandi in prisco christianismi aevo.

Apostoli eodem modo perficiebant SS. Eucharistiam, quo Christus, eundem ordinem tenentes, quem in ultima coena a Magistro videbant, teste enim s. scriptura:[1]) „Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo et frangentes citra domos panem, sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis," quae verba probant a primis ecclesiae incunabulis apostolos cum fidelibus sacram synaxin quotidie celebrasse. Et quidem christiani ex Judaeis Hierosolymorum facti, dum templum superstabat, continuo assistebant etiam cultui publico antiqua lege praescripto, extra urbem vero degentes in synagogis celebrato, — debuit enim synagoga cum honore sepeliri, — cuncti praeter hoc etiam in privatis domibus conventus tenentes, ut apostolorum doctrinam ibidem audiant, orent et panem frangant, i. e. corpus et sanguinem Christi sumant. Haec secutae sunt supra memoratae agapae, i. e. convivia dominica, osculo fraterno (φίλημα ἅγιον) finiri solita. Cf. Act. ap. ut sequitur: „Una autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis . . . frangensque panem et gustans etc.", et iterum: „Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam." De coaevis apostolorum idem dicendum, teste enim s. scriptura: „Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus."

[1]) Act. ap. 2., 46.

Quid aliud in prolatis verbis exhibetur, quam clarissimum testimonium ordinis compendiumque liturgiae modernae? His siquidem partibus omnis liturgia componitur.

Ex relatione Act. ap. concludere possumus liturgiam apostolorum constitisse: 1. ex lectione s. scripturae cum ejus interpretatione. In initio utique tantum a. testamentum adhibebatur, quamdiu libri novi testamenti non erant conscripti propagatique; 2. communicatione fractionis panis cum suis adjunctis, ut oblatio, consecratio et fractio hostiae; 3. oratione sumptionem praecedente et consequente. Id certe negari non potest, signatas partes secundum propositum ordinem in omnibus ecclesiarum Christianarum liturgiis reperiri, quamvis hae in multis aliis inter se discrepent, quod non exiguo argumento est, ab apostolis communem aliquam s. officii formam constitutam fuisse et ita ex communi fonte in cunctas gentes emanasse, quae dein primigenia liturgia ab apostolorum successoribus in decursu saeculorum variis additionibus aucta est.

Quod ad caeremonias pertinet, per se patet illas magna parte ex cultu per Moysen praescripto mutuatas fuisse, quod facile explicatur, si respiciamus tum apostolos, tum primos asseclas eorum Judaeos fuisse, huic ritui assuetos. Inde intelligitur ulterius, cur christiani in primo saeculo a Judaeis non distinguebantur ac pro judaicis impietatibus simul cum his persecutiones patiebantur.[1])

Primam missam celebravit S. Petrus in die Pentecostes, quia eo die Hebraei (Deuter. 16.) offerebant obla-

---

[1]) Rapaics. Egyetemes egyháztörténelem, t. 1. p. 188. sqq.; Zeibert. Comp. hist. eccl. p. 81. sqq.; Historia Dionisii Cassiani de Domitiano.

tionem spontaneam — Missach —, quae erat tritici.[1]) Petrus eamdem igitur obtulit in pane azymo, in coenaculo Sion, docet Pamelius.[2])

Si quaeritur, an christiani hoc tempore aedes aliquas sacras et SS. Eucharistiae celebrandae destinatas habuerint, respondemus affirmative. Luculenter enim ait apostolus:[3]) „Convenientibus vobis in ecclesiam audio scissuras esse“ et: „Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut Eccleslam Dei contemnitis“. In quae verba S. Basilius[4]) inquit: „Quemadmodum ratio non permittit, ut vas ullus in sancto introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari.“ Nec obstat, quod gentiles primorum saeculorum christianos seu atheos passim traduxerint, nullaque ipsis templa esse identidem objectarint, quoniam tunc templi nomine ingentia duntaxat aedificia veniebant, qualia prisci illi Christi cultores omnino non habebant, nec habere propter crebras persecutiones poterant; quin neque volebant, ne opinari cum gentilibus viderentur, quod Divinitas idgenus domo concludi queat, quemadmodum calumniam istam refellit Lactantius,[5]) Origenes,[6]) aliique. Ast sedatis persecutionum procellis, plenaque ecclesiae pace per Constantinum M. data magnifica ubique terrarum Deo vero templa surgere, aut quae idolis olim dicata erant, honoribus ejus sacrari coeperunt. Vocabantur autem a Graecis: Κυρίακα, εὐκτήρια, πςοσευκτήρια; a Latinis: Domus Dei, Domus orationis, Dominica, Ti-

---

1) Anton Democharis. De sacrificio Missae t. 2. cap. 4.

2) Litur. eccl. lat. t. i.

3) I. Cor. 11., 18., 22.

4) Reg. brevior. Interrog. 310.

5) L. 6. Divin. Inst. c. 2.

6) L. 8. Contra Celsum.

tuli, Oratoria; ab utrisque quae augustiora erant: Basilicae, caetera vero Martyria, eo quod super sepulchra martyrum construerentur; quaedam etiam simili de causa Apostolica, vel Prophetea. Construi autem fere solebant ad normam veteris templi Hierosolymitani. Hinc quod situm attinet, ita communiter disponebantur, ut ad ortum solis aequinoctialem verterentur.

Ecclesia Christi in primo saeculo ab ipsis apostolis gubernata, his mortuis a viris sic dictis apostolicis in via salutis manuducebatur, qui digno magnis praedecessoribus fervore nitebantur opus salutis promovere, semper memores celsitudinis curae pastoralis, ad quam electi assumptique fuerant. Exunde activitate sua, praeclara sedulitatis suppeditant exempla posteris omnium saeculorum in vigiliis pernoctando; fidelitatis vero: bene custodiendo ab apostolis sibi concredita. De modo eorum liturgisandi sequentia S. Justinus Mart.[1]) refert: „Die solis omnes ex urbe et agris in unum conveniunt, ibi scripta apostolorum et prophetarum leguntur; dein ubi lector desiit, antistes adjungit exhortationem. Postea omnes consurgimus et preces communes fundimus iisque finitis invicem osculo s. salutamus. Tunc panis affertur et poculum vini aqua mixti, quibus acceptis antistes preces et gratiarum actiones alta voce emittit. Precibus absolutis, quibus omnis populus acclamat: Amen, diaconi panem et vinum, quae per consecrationem facta sunt corpus et sanguis Christi, unicuique praesentium participanda distribuunt et ad absentes perferunt". En alterum compendium liturgiarum nostrarum, ad quod conscribendum laudatus Apologeta eo ductus fuerat, quod christianorum conventus atrocissimorum criminum insimulabantur, quare ipse, quae in eis fiebant, palam coram caesaribus dicenda

[1]) Apol. I. c. 65—67.

esse existimavit, neglecta quae tunc vigebat arcana disciplina. In hac brevi descriptione idem ordo videri potest, eaedemque actiones, quibus liturgiam apostoli perficiebant, utique pro evolutione formarum auctoque numero fidelium in majore mensura.

Relatione hac Justini aliisque inter se collatis, summa cultus divini hujus aetatis haec videtur fuisse:[1]) congregato populo legebantur praeter s. scripturam antiqui et novi testamenti scripta ss. patrum apostolicorum, imo et epistolae episcoporum actaque martyrum. Legere tum diaconorum, tum lectorum erat, quod plerumque de aliquo altiore loco fiebat, ut a cunctis fidelibus lectio audiri queat.[1]) 2. Lectionem exceperunt psalmi aliique hymni a populo decantati, hos vero exhortatio ab episcopo facta, vel eo permittente ab alio presbytero facundia pietateque pleno habita sequebatur.[2]) 3. Post doctrinae sermonem omnes in communione ecclestastica non constituti abire jubebantur et quidem infideles catechumenique audientes statim post proclamationem diaconi: „Ne quis audientium, ne quis infidelium.“ His profectis peragebatur oratio super catechumenis II. classis, ut revelet iisdem Deus Evangelium Christi sui ceteraque bona, de quibus in liturgia S. J. Chrysostomi audiemus. Populus ad singula respondebat: Κύριε ἐλέησον! Accepta episcopali benedictione catechumeni substrati, seu genuflectentes (γονυκλίνοντες) utriusque generis deserebant ecclesiam, clamante diacono: „Quicunque catechumeni discedite.“ Quo facto episcopus orabat super illis, qui illuminandi erant baptismo, scilicet super competentibus atque electis (βαπτιζόμενοι, φωτιζόμενοι) et in IV. gradu poenitentiam agentibus, sic appellatis consistentibus, qui

---

[1]) Cypriam. ep. 33., 34.

[2]) Tertullianus. De praescriptione c. 36.

tamen integro cultui assistere permittebantur,[1]) ast ab oblatione et communione abstinebant. Hucusque proposita pars cultus divini „Missa catechumenorum“ dicebatur. Modo incepit januis clausis „Missa fidelium„. 1. Fundebantur preces in genere pro extensione saluteque totius ecclesiae verae, episcopis ac clero universo, imperatoribus, magistratibus, conversione infidelium et reversione haereticorum. Consuetissima oratio fidelium erat „dominica“, ast aliae quoque adhibebantur. Dum sacerdos secreto orabat, fideles psalmos recitabant hymnosque canebant. 2. Finita precatione sequebatur salutatio per osculum s., quod ita perficiebatur, ut viri viros, feminae autem feminas amplecterentur in signum fraternae charitatis, quibus successit denique lotio manuum sacerdotum. 3. Post haec locum habuit oblatio i. e. momentum, quo bona a diaconis ad altare apportabantur, ubi episcopus splendidam vestem induens medius constitit inter presbyteros. Ad sacrificium necessarios panes ac vinum et frequenter alias quoque res, uti oleum, fructus, lac etc. (προσφοραί=oblationes) fideles ipsi in locum cultus divini afferebant. Pro materia sacrificii uti videtur, panis tum fermentatus, tum azymus promiscue adhibebatur, cum lis desuper tunc temporis quemadmodum et Photio vivente adhuc non grassaretur.[2]) 4. Mox praefatio sequebatur. Pontifex cunctis ad offerendum praeparatis, — prout refertur in „liturgia constitutionum“, quae certe antiquissimum documentum liturgicum est, repraesentans formam nostrae liturgiae Graecae simillimam, — signat frontem tropaeo crucis dicens: Gratia Omnipotentis etc.“ enumeratis beneficiis gratias egit Patri coelesti pro his offerendo praepositum panem vinumque in sacrificium, super quod devote deploravit

[1]) Zeibert o. c. p. 82. — [2]) Hergenröther in opere suo „Photius“. t. I. p. 643. sqq., t. III. pp. 187., 249. sq.; 661.

demittere Spiritum S. Sic pervenit 5. usque ad consecrationem, quam prolatione divinorum Salvatoris verborum antistes peregit populo „Amen“ acclamante. His dictis offerebat Pontifex panem ac calicem, ut Magister quondam inter discipulos, diaconi vero ex utraque parte altaris flabella tenebant ad abigendas muscas, ne in calicem incidant. Poscebat quoque, ut Deus mittat super hoc sacrificium Sanctum suum Spiritum, ut exhibeat panem corpus et calicem sanguinem Christi sui, quo participes ejus ad pietatem confirmentur. Postea memoriam agebat ss. martyrum, ut praesentes digni habeantur participes fieri illorum intercessionis, dein orabat pro defunctis, quorum nomina tabulis diptychis inscripta recitabantur, quales erant reges, episcopi, aliique, qui ecclesiis beneficos se exhibuerunt, porro pro ecclesia commendavitque Deo cunctas hominum necessitates. Includebantur hae orationes solita S. S. Trinitatis exaltatione, respondente populo „Amen“.

Nunc sequebatur „Pater noster“, hocque expleto benedicebatur populo ab episcopo, qui simul et orare jubebatur, ut digne queat communioni Sanctissimi participare ac iterum orationem pertulit episcopus ad impetrandas gratias toti populo. Postquam absolvit episcopus orationem praeparantem ad digne percipiendam communionem, diaconus alta voce protulit: „Attendamus“, episcopus autem similiter: „Sancta sanctis“, respondente populo: „Unus sanctus etc.“ Dispensabatur vero SS. Eucharistia tunc in cultu publico sub ambis speciebus etiam in Latina ecclesia, dum aegrotis et incarceratis fidei confessoribus persecutionis tempore, ut quolibet momento praesto sit et occasione transmissionis ad vicinos episcopos, solummodo species panis adhibebantur. Pueris aliquot guttae ss. sanguinis praebebantur. Acci-

pientes ss. Eucharistiam plerumque stabant, prono tamen capite atque demissis oculis. Modus communicationis hic erat: episcopus frangens de corpore Christi frustum, unicuique in dexteram posuit dicens: „Corpus Christi", respondente accipiente: „Amen". Notandum, sanguinem aut calamo suxisse, aut e calice ori elevato ebibisse, quin imo interdum corpus sanguine intinctum suscipiebant. Porro viri corpus Christi manu nuda, feminae vero mundo strophiolo ori admovebant et quidem inde a saeculo II. omnes jejuni. Juxta praescriptum liturgiae constitutionum (VIII. 13.) primum episcopus communicabat, caeteri autem secundum ordinem ac statum ut sequitur: presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores atque ascetae. Postea diaconissae, virgines et viduae, postremo pueri et omnis populus cum pudore ac reverentia. Tempore communionis recitabatur psalmus 33.: „Benedicamus Dominum omni tempore etc". Pro moribundis jam et tunc SS. Eucharistia asservabatur, et quidem in vasibus formam columbae vel parvae turris habentibus, quae προστοφόριον, περιστήριον, a Latinis thalamus, sacrarium appellabantur. Excitantibus demum cunctis voce diaconi, ut gratias agant Deo pro perceptione corporis et sanguinis Christi ac ut sese Deo et Christo commendent, cunctis inclinantibus benedictio solemnis partiebatur atque adhuc brevi oratione peracta dimissus est populus ab episcopis his verbis: „Ἀπολύεσθε ἐν εἰρήνῃ", scilicet domum, vel ad agapas.[1])

Ex hac descriptione patet, quod inter liturgisandi modum aevi apostolici et illum saeculi II. a Justino Martyre descriptum atque a nobis modo prolixius maximeque e libro VIII. const. apost. expositum necnon no-

1) Liturgia libri VIII. Constitutionum apostolorum; Zeiberit o. c. p. 79. sq.; 82. sq.; 93.; Rapaics o. c, p. 188. sqq.

strum hodiernum, in principalioribus nullum existat discrimen. In omnibus enim occurrunt: psalmorum et hymnorum cantus; lectiones sac. scripturae, evangeliorum imprimis cum adjuncta interpretatione instructioneque; oblatio panis ac vini aqua mixti; vivorum et mortuorum commemoratio; consecratio fractioque hostiae, oratio dominica; benedictio populo data atque post communionem gratiarum actio. Imo et ordo consecutionis enumeratarum partium idem est. Inde non est difficile ea, quae ex apostolica traditione manarunt ab aliis, — quae post modum utique ex causis rationabilibus adjecta fuerunt, — discernere.

8. §.

Biographia S. Joannis Chrysostomi.

S. Joannes ob aureum eloquentiae flumen cognomine Chrysostomus tum ob opera sua tum ob res patratas clarus ac celebris Antiochiae circa a. 345. a parentibus nobilibus ast ethnicis ortus est. Pater ejus nomine Secundus, magister militum Syriae fuit, qui praemature moriens conjugem viginti annorum viduam Anthusam dictam ac Joannem tenellum filiamque Chrysostomo natu majorem reliquit. Pia mater a secundis nuptiis etsi adhuc junior abstinuit et instituendo educandoque Joanni nullam non adhibuit operam. Adolcscentulus magnae spei primum Antiochiae studiis vacavit, dein Athenas est profectus, ubi anno aetatis suae 18. in eloquentia arteque oratoria magistrum habuit celeberrimum Libanium[1]) sophistam, in philosophia vero Andragathium, ultimos decumbentis paganicae culturae eruditionisque flores. Ab his manuductus facultates ingenii ejus adeo excultae sunt

[1]) Pallad in vita S. Chrys. lib. 6. c. 3.

doctrina ut in profectu cunctos superaverit conscolares; imo narrat Sozomenus Libanium de Chrysostomo dixisse, non alium futurum sui in arte oratoria tradenda digniorem successorem illo, nisi sibi rapuissent christiani.[1]) A teneris unguiculis semper in virtutibus exercitatus, de vita monastica, utpote schola perfectionis nunquam desiit cogitare, licet prius influxu magistrorum munere causidici forensis fungeretur, quod illi non modicam peperit laudem. Instante quodam Basilio, quem a pueritia amicitiae vinculo sibi conjunctum habuit, valedixit foro, lectionemque ss. scripturarum nec non officia vitae christianae amplexus, sanctum disciplinae genus suscepit, a quo nunquam postea destitit.

Erat autem tunc temporis Antiochiae patriarcha Meletius, vir sanctitate conspicuus, qui cum videret juvenem acri ingenio indoleque egregia pollere ac ad majora destinatum esse, admittebat ipsum ad consortium colloquiaque sua, sub quibus accurate instruxit eum in disciplinis christianis, denique jam triennium secum conversatum a. 369. sacro lavacro tinxit, elapso vero altero triennio in lectorem ordinavit. Alii asserunt S. Joannem a Zenone archiepiscopo Hierosolymitano tunc Antiochiae morante in lectorem ordinatum fuisse. Non multo post mortua est mater ipsius vidua, cujus precibus lacrymisque hucusque impeditus fuerat in suscipienda vita monastica, nolens generatricem suam dupliciter viduam reddere. Nunc jam nihil impediebat S. Chrysostomum, quominus vitam a saecularibus vacantem negotiis degeret, studiisque theologicis, in quibus praeter Meletium a Theodoro Mopsuestiae postmodum in Cilicia episcopo, Maximo Seleuciae in Isauria dein episcopo et caeteris paribus instructus fuerat, — se tradat.

[2]) Sozom. lib. 8. cap. 2.

Interim fama ejus sanctitatis ubique dilatata movit episcopos illius regionis Antiochiae collectos ad episcopales sedes vacantes replendas, de Joanne ejusque amico Basilio ad episcopalem dignitatem evehendis cogitare, quod cum Joannes audiverit, ne ad id vel invitus raperetur, quemadmodum cum Basilio amico suo attigit, rapto ad episcopatum Raphaneae in Syria, ex humilitate fuga se subduxit, diuque in proximis Antiochiae montibus delituit, vacans conscribendis libris de sacerdotio, purgaturus se coram amico graviter contra ipsum conquesto, quippe qui deceptum se sentierat eo, quod S. Joannes suam agendi rationem ei non revelaverit. In solitudine quatuor annis severissimae disciplinae cujusdam senis Syri aemulator existebat, dein in spelunca se solus inclusit in sensu strictissimo ascesi vacando. Nihilo tamen minus post biennium a varii generis infirmitatibus corporeis debilitatus in urbem redire coactus est, noluit enim Deus, ut pharus hic in deserto lateat, sed ut palam appareat: lucere verbo exemploque. Redux ergo domum atque paulatim ex adversa valetudine recreatus a S. Meletio a. 381. diaconus ordinatus est, post quinquennium vero, i. e. 386. a Flaviano successore S. Meletii in presbyterum est promotus, simulque ad concíonandi officium deputatus, ubi 12 degit annos populum non minus eloquentia ac doctrina, quam pietate moribusque instruens.

Conciones ipsius inexpressibilem vim in auditores exercebant, summumque effectum producere valebant, quod maxime eluxit, cum a. 387. Antiochiae excidium immineret. Nimirum populus nimio varii generis debitorum onere gravatus contra imperatorem Theodosium I. in seditione prorupit, qua occasione statuae imperatoris, necnon defunctae uxoris ejus Flaccillae dejectae ac contumeliis affectae fuerant.

Flavianus episcopus statim post hoc facinus ad placandum imperatorem Constantinopolim profectus est, loco sui S. Joannem relinquendo, cui concionibus suis, nobis sub „Homiliis 21. de statuis“ notis, successit concives suos totaliter tranquillare, imo Deo adjuvante dignatus est Antiochenis festo paschatis liberationem quoque ex isto periculo afferre. Ast non solum verbis, sed etiam factis potens erat, plures enim virtute Christi miraculose sanavit.[1])

Qualis erat qua simplex presbiter, talis permansit, talem se ostendebat etiam qua archiepiscopus Constantinopolitanus, cunctis studens viribus omnium exemplar se exhibere: in omnibus. Quamobrem, nulli labori parcebat, ut clerum reformaret, vitiaque jam diu vitam ejus demoralisantia evelleret. Pariter sanctum incepit certamen adversus peccatores cujusvis status, nec ipsi caesareae aulae parcens, ut eos ad viam poenitentiae ducat. Testibus historicis tanta erat auditorum ejus frequentia, ut episcopali relicto throno lectorum ambonem conscendere cogeretur, ut ab omnibus queat audiri, qui non raro manuum vocumque plausibus sermocinantem excipiebant.

Conatus ipsius initio apud aulam summam promptamque protectionem invenerunt, sed prope-diem inimicae machinationes coeperunt contra eum grassari, ab soliis detrusis episcopis incoeptae offensisque aulicis alitae, quibus brevi tempore adjunxit se et imperatrix Eudoxia, quam propter ereptam alicui possessionem reprehensit, necnon eunuchus Eutropius ob immodicam avaritiam ab eo objurgatus, qui dein munere quoque privatus est.

---

[1]) Gmitrik, Zsitija svjatich, t. 1. p. 363.

Lugubri illius tragoediae ansam dedit negotium istorum 4 monachorum, qui in historia „fratres longi“ dicuntur, quos Theophilus Alexandrinus utpote Origenis doctrinam defendentes excommunicavit Aegyptoque pepulit. S. Chrysostomus causam Origenis solum ita agebat, ut merita ejus laudando et errores benigne interpretando eos excusaret, clementer excepit monachos ipsius patrocinium rogantes, commonefecitque Theophilum, ut omnibus abruptis dissidiis pacem monachis largiretur, tamen sine optato effectu. Quam ob causam hi dato ad imperatorem supplici libello graviter conquesti sunt de Theophili tyrannide, qui exinde praecepto imperatorio jussus est quamprimum coram Joanne causam dicere. Theophilus interim false informatus de S. Joannis processus ratione, nempe acsi hic spernendo ejus censuras monachos ad sacramenta concedisset, offensusque per id in arrogantia, postquam S. Epiphanium praecursoris instar Constantinopolim ad viam praeparandam miserat, satis sero et ipse cum multis suae factionis episcopis ibidem advenit a. 403. S. Epiphanius, qui a. 401. in una synodo damnaverat doctrinam Origenis, hoc idem a S. Joanne quoque postulabat, qui tamen nullum ei responsum dederat. Quare hic magni ponderis vir a. 402. Constantinopolim pergens nullam societatem voluit cum S. Joanne habere. Ast ex conversatione cum quibusdam damnatis monachis habita comprehensus se a Theophilo deceptum fuisse, domum est reversus, mortuusque in itinere.

S. Joannes prospiciens, quod si Theophilus in synodo damnaretur, nunquam aquiesceret, imo ingentes turbas esset excitaturus, recusavít jubenti imperatori de Theophili causa judicare dicens, non ad se, sed ad synodum praesulum Aegypti pertinere de gestis Theophili

scandalis judicium ferre. Non tam generoso animo erga S. Joannem affectus erat Theophilus, imo et vitae ipsius insidiabatur, nullique pepercit studio, ut de throno eum moveret. Infami huic plano etiam mutata circumstantiarum situatio favebat. Contigit siquidem, quod S. Joannes, — adhuc tempore, quo S. Epiphanius domum reversus est, — in una concione feminarum luxum acriter insectaretur, quod statim impii aulici, inimici s. viri imperatrici susurrebant, acsi haec adversus suam majestatem fuisset directa, quae jam immani ira incensa scripsit itineranti imperatori urgens, ut synodi causa convocandae, ubi deponeretur S. Joannes, domum properaret.

Inter tales pro S. Joanne infaustas constellationes venit Theophilus Constantinopolim, ubi sufficienter illustratus de rerum novissima mutatione, deposuit larvam, locoque accusati suscepit munus judicis. Nihilominus tamen timens popularitatem S. Joannis Chrysostomi, ne illaturae huic injuriae a fideli grege ulciscerentur, concilium adversus eum ad Quercum (σύνοδος ἐπὶ δρῦν) Calcedonis suburbium in ecclesia ss. apostolorum Petri et Pauli a Ruffino constructa coegit. Huc venit aemulus olim S. Joannis, stipatus commilitonibus episcopis suffraganeis circa 24, quibus alii quoque episcopi maxime a S. Chrysostomo depositi, partim vero ob severitatem ipsius male in eum affecti, semet adjunxerant, ita ut cuncti 36 adessent. Eodem tempore etiam S. Joannes 40 episcopos in synodum convocans, ad citationem illius conciliabuli respondit, se paratum esse comparere, si Theophilus aliique 4 episcopi tribunali excludentur, secus non. Quapropter conciliabulum Theophili auditis testibus pecunia corruptis, eum ut contumacem immoralemque (scilicet, „quod recepit mulieres solus cum solis agendo, omnes alios rejiciendo foras, quod solus comedit, agens Cyclo-

pis vitam turpiter et voluptuose". Acta synodi ad quercum.) deposuit, imperator autem tamquam reum laesae majestatis in exilium misit. Ast res — per se intelligitur — non potuit pacifice componi. Populus exacerbatus resciens injustas conciliabuli decisiones, noluit capistrari, sed ex metu, ne dilecto pastore orbetur, die nocteque circa ejus residentiam tumultuans vagabatur clamorose generalem postulando synodum, ita ut jam-jam sanguine polluerentur portae domus archiepiscopalis, quod tamen S. Joannes evitare cupiens, deposuit resistentiam tradiditque se aulico cum verbis: „Ecce hic sum, ducite me, quo vultis." Vafer aulicus tradidit ecclesiarcham in manus inspectoris policiae, et quasi nihil contigisset, ipse per plateas mediumque populum aulam est reversus.

Nihilo minus cum vir sanctus noctu portico occulto abductus esset, artes malae a populo in litore detectae fuerant et hic solummodo precibus praesulis potuit placari retardarique a violento interjectu sanguinisque effusione sivitque eum in exilium ad terram Bithyniae ire.

His factis Theophilus cum summo triumpho Constantinopolim est ingressus, ubi novum praesulem in locum S. Joannis ordinare tentavit, ast obsistente populo hoc minime exequi potuit. Fideles nimirum addictissimi aegre ferentes deportationem patris sui et in ecclesiis et in foro vehementer tumultuari coeperunt anxie postulando ab imperatore, ut pastorem dilectissimum ipsis restitueret. Dies haec ob impertitas pascuo fideli immanes atrocitates „dies Theophili" appellabatur, qui brevi tempore timore populi indignantis perculsus Alexandriam aufugit.

Multum ad rogationem eorum contulit audiendam, quod eodem tempore magnus terrae motus Urbem quassaverit. Eudoxia hoc perterrita ipsa quoque imperatorem

obsecrabat, ut S. Joannem ab exilio revocaret, quinimo litteras[1]) quoque ei dederat, in quibus amare conqueritur scribens: „Improbi ac perditi homines hanc struxere machinam. Mearum lacrymarum testis est Deus, cui sacra facio". Imbecillae voluntatis imperator, qui nunquam factorum suorum dominus erat, sed verus impressionabilitatis typus, libenter annuit communi desiderio ac celerrime misit legatos reducturos S. Joannem, ita ut exilium ipsius tantum unius diei fuerit.

Redux antistes non se mutavit, sed ulterius quoque mansit inexorabilis peccatorum executor, quare et non potuit diuturna frui tranquillitate. Occasionem quietem animorum sedatorum pacemque tam difficile assecutae violandi iterum sermones ipsius corripientes dederant, quas Eudoxia sibi illatas putando rursus in tantam iram concitata est, ut nullis parceret laboribus ad confestim detrudendum eum de solio Archiepiscopali. Auxiliatores ex praeterito invenit, imperator autem animo nunc huc, nunc illuc fluctuans ad quodlibet potuit permoveri.

Conspiratores initio nesciebant, quid faciant. Nonnulli suadebant, S. Joannem tradendum esse tribunali laicali ob crimen laesae majestatis imperatricis. Magis circumspecti tamen huic propositioni renuebant ex motivo, ne forsitan juxta leges imperii morte plecteretur, melius cogitantes per novam synodum, cujus invocationem S. Joannes a duobus mensibus ab imperatore urgebat, depositionem ejus procurare, quod ultimum consilium imperator quoque ratihabendo, reapse illam Constantinopolim convocavit. Praesidium et hac vice Theophilo oblatum erat, sed hic ex timore ne forsan a populo in mare injiceretur, quod ei et prima vice comminabatur, illud non acceptavit. Convenerunt circa 100 episcopi, quorum

[1]) Sozim. lib. 8. c. 18.

42 pro S. Joanne stabant. Magna autem pars propter metum imperatoris non comparuit.

Primo perlegebantur in hac synodo duo canones concilii Antiocheni (341.), secundum quos episcopus sive presbyter jure aut injuria depositus, si absque synodi auctoritate, suo ipsius arbitrio episcopalem sedem invasisset, excommunicetur, et si tumultum moveret, puniatur a civili potestate. Ad quos facile erat Chrysostomo rejicere, quippe qui non ecclesiae catholicae, sed Arianorum erant. Mox incepit deplorabilis inter patres pugna, vicit tamen mediantibus Chrysostomo infensis episcopis iniquitas. Malefici impiique mercenarii vacillanti imperatori monentique, ne non recte consulerent, hoc idem responderunt, quod olim Judaeorum dixerant pontifices: „In caput nostrum sit Joannis depositio." Talibus impii vafrique inimici confortabant phrasibus timidum imperatorem, furentes, quod odium suum adversus S. Joannem nequeant explere, quia hic jubenti imperatori ut ex ecclesia egrediatur, sic renunciavit: „Ego a Deo Servatore accepi ecclesiam hanc, ut curam geram salutis populi, nec possum eam relinquere. Si autem id vis, vi me ejicito, ut deserti ordinis excusationem habeam."[1])

Nihil proderat quorumdam episcoporum tum ad imperatorem, tum ad ejus maritam directa impetratio, ut ecclesiam Dei in pace relinquerent, nec sequens Pauli[2]) episcopi viscera concutens exhortatio: „Eudoxia Deum time, tuorum liberorum miserere, ne violes sanctam Christi solemnitatem sanguinis effusione." Alea tunc jam apud hos de futura sorte S. Joannis jacta erat atque hic ex titulo citatorum canonum damnatus, depositus et quin exspectata fuisset romani pontificis, — ad quem

---

1) Pallad. lib. 6. c. 9.

2) Ibidem.

vir sanctus appellavit, — sententia ultima, militari manu in exilium est abductus et quidem primo Nicaeam, exinde vero, — licet febri dire vexaretur, — Cucusum, desertissimum Armeniae locum, ubi neque ad victum necessaria reperiebantur, quemadmodum ipse quoque scribit: „Τὸ πάσης τῆς οἰκουμένης ἐρημότατον χώριον“.[1])

Sic praeparabatur via ab ipsis episcopis in oriente ad caesaropapismum, cujus amari fructus hodie quoque supersunt, quod etenim adnotat Hergenröther[2] de temporibus post Photium: „Die kajserliche Allgewalt in Kirchensachen ward immer mehr befestigt,“ hoc idem usque hodie misere continuatur in oriente, quatenus nempe ecclesia ibidem et nunc per potestatem civilem in captivitate tenetur, cum qua videlicet necessario conjunctae sunt degeneratio tum intellectualis, tum moralis sacerdotum, necnon fidelium, curae ipsorum pastorali concreditorum, prout hoc modernus hujus ecclesiae deplorabilis status docet.[3])

Fama sanctitatis necnon injuriae in defendenda veritate perpessae ubique sancto exuli sympathias pararunt. Sic episcopus Cucusi ex reverentia erga tantum virum eo usque processit, ut episcopalem illi sedem cedere voluerit, alii vero tot pecuniae ipsi subministrabant, ut multos captivos ab Isauris redimere, multis etiam necessaria largiri posset, praesertim cum magna fames eo anno regionem istam invaserit. Munus suum igitur apostolicum hic quoque continuabat, pascens omnes circum populos et pane et verbo Dei.

Notare oportet, tempore exilii ejus talia occurrisse

---

[1]) Chrysost. epist. 234.

[2]) Photius, t. II. p. 717.

[3]) Aksakoff apud Dr. Ferd. Knie. „Die russisch-schismatische Kirche. Graz. 1894. pp. 53—57.

signa, in quibus haud possibile est digitum non videre Dei; qualismodi erant: 1. Eudoxia post triumphum super s. virum deportatum aliquibus mensibus post adhuc juveniliter mortua est; 2. fames; 3. hyeme extraordinaria rigora; 4. aestate insoliti calores atque terrae motus continuo torquebant imperium, etc. hujusmodi.

Invidia inimicorum etiam hic non sivit ei quietem, quo hoc tempore jam maxime indigebat, quum hyeme a. 404. rigido morbum inciderit ac per duos menses in lecto decumbens stomachi capitisque doloribus, vomitibus atque insomniis vexaretur. Hi siquidem timore morsi, — cum S. Chrysostomus suis cum amicis Constantinopoli nequaquam negligerit antiquam cohaerentiam per epistolas alere, — ne forsan sanctus praesul revertatur, enixe impetraverunt imperatorem, ut ille Pithyuntem, locum vastissimum ad litus Pontici maris situm duceretur, qui et annuit precibus eorum.

Per continuam pugnam viribus fractus sexagenarius sub fine Junii a. 407. hoc iter suscepit. Pithyuntem tamen nunquam vidit, quia 14. Septembris Comanis in martyrio S. Basilisci supremum obiit diem. Praecedente ipsius mortem nocte apparuit ei Basiliscus martyr dicens: „Confide frater Joannes, crastina enim die símul erimus." Oraculo fidens, S. Chrysostomus ad transitum in aeternam beatitudinem se praeparaturus sequentis diei mane s. liturgiam voluit celebrare, quare precatus est milites, ut saltem tot temporis concedant ei, dum officium divinum persolvere poterit. Sed frustra. Agrestium viri morum brutaliter coëgerunt eum naviculam ascendere, ut versus finem proficiscantur, quod nihilominus non succesit eis, nam ipse Deus per miraculum intermiscuit se rebus ulterius componendis, effecitque, ut nautae post diuturnam navigationem in eundem reverterentur locum, unde

discesserant. „Sic igitur reversus splendidas vestes vita sua dignas requirit, exususque prioribus, illas induit, omnibus usque ad calceamenta mutatis, atque alias praesentibus distribuit. Et sumptis Dominicis Symbolis, Eucharistia scilicet, coram adstantibus ultimam orationem emisit. Et cum more suo dixisset: δόξα τῷ θεῷ πάντων ἕνεκεν et ultimum 'Αμήν obsignasset, ad Christum transiit.“[1])

En justum ac tenacem propositi virum! Ei per eminentiam applicari possunt verba (Ps. 91.), quod „justus ut palma florebit“, gloria siquidem lumineque suae doctrinae totum orbem replet, nunquam desinens pascere gregem Dei, quia ubicunque terrarum legitur, ibidem et praedicat simul.[2]) Opera ejus monumentum ipsi exstruxere aere perennius.

Memoria obitus ipsius in ecclesia nostra 13. Novembris celebratur et non 14. Septembris, quo exul migravit in coelum. Causam hujus rei ita refert Nicolaus Nilles: „Quod sanctissimi archiepiscopi memoriae recolendae ipse hic dies tamen non est in Menologiis graecis tributus, id inde venisse putandum est, quod 14. Septembrem jam a temporibus Constantini M. solemnitas s. crucis occupasset“.[3])

---

[1]) Pallad cap. 10. p. 39.

[2]) Hergenröther: Allgemeine Kirchengeschichte. Freiburg in Breisgau, 1876. t. i. p. 277. sqq. Wetzer und Weltes Kirchenlexikon, t. 7. col. 1611. sqq.; Dr. Mikita, Institut. de ss. patribus, p. 87. sqq.; Gmitrik, Zsitija svjatich, t. i. p. 359. sqq.; Listok, numeris ab 14. anni 1890. — 16. anni 1891.

[3]) N. Nilles S. I. Calendarium Manuale, Oeniponte, 1879. pp. 275. et 327.

II. PARS.

9. §.

De liturgiae S. Joannis Chrysostomi origine, propagatione ac hodierno usu.

Quemadmodum S. Basilius, sic et S. Chrysostomus liturgiam de ejus nomine appellatam ex antiquissima „Hierosolymitana, seu liturgia S. Jacobi apostoli“ composuit. Jacobus Goar in opere suo, quod inscribitur: „Εὐχολόγιον sive rituale Graecorum“[1]) in sequentibus refert causas S. Joannem Chrysost. liturgiam conscribere permoventes dicens: „Quid autem sanctum pontificem Joannem χρυσοῦν γλῶτταν ἔχοντα, ore vere aureo aureaque lingua praeditum moverit, ut post alios Liturgicarum precum auctores ipse quoque Liturgiae in hunc ordinem redigendae manum apponeret, docet ejus discipulus beatus Proclus Constantinopoleos etiam Episcopus dicens: Apostolos nempe fusissime longoque verborum ambitu divina mysteria celebrare solitos, posteris prolixum orandi modum et diuturniores in tanto sacrificio protrahendi preces exemplum reliquisse. Qui deinceps fidei firmitatem fervoremque abjicientes, negotiis hujusce saeculi, et mundi curis mancipati, prolixitate missae pertaesi, vix ad audiendam recitationem Dominicorum convenie-

---

1) Prodiit Venetiis, p. 1730. 95.

bant verborum. Quamobrem et D. Basilius medica quadam ratione usus breviorem eam concisioremque reddidit. Haud vero multo post pater ille noster, aurea praeditus lingua Joannes de ovium salute, ut pastorem decet, strenua cura sollicitus, naturae humanae socordium ignaviamque respiciens, fibras omnes ac radices satanici praetextus hujus prorsus voluit evellere. Et ideo multa praecidit et concisiori pressiorique oratione sacrum conficiendum statuit."

Prolatum testimonium etiam liturgia Nestorianorum confirmatur, quam Nestorii dicunt esse. Haec enim manifeste ex liturgia S. J. Chrysostomi orta est, unde etiam characteristica liturgiae Chrysostomianae verba: „Μεταβαλὼν τῷ πνεύματι σοῦ ἁγίῳ=immutans Spiritu tuo Sancto" habet. Igitur S. Chrysostomi liturgia ante annum 431., quo Nestoriani secesserrunt, exstiterit, necesse est. Tandem particulas liturgiae S. Joannis Chrysostomi in operibus ipsius dispersas esse, demonstrat Claudius de Sainctis († 1591.), qui eas collegit.

Armeni unicam suam liturgiam etiam S. Chrysostomo ac S. Athanasio adscribunt, quae ne sit sane quoad omnes partes S. Chrysostomi, a potioribus partibus Chrysostomi vocari certo debet. Potuit autem literis prodi circa a. 407., quo Chrysostomus in Armenia supremum obiit diem, siquidem initio saeculi V. in usum venerunt literae a Misrob repertae.

Quidam vero opinantur liturgiam hanc, quae ejus nomine insignitur, longe post obitum Sanctissimi Praesulis exaratam fuisse. — De usu liturgiae S. Chrysostomi sequentia adnotamus.

Abolito apud Graecos paulatim ritu liturgiae ecclesiae Hierosolymitanae, quae nunc graeca lingua tantum semel in anno, scilicet 23. octobris, die S. Jacobi apo-

stoli Hierosolymis celebratur, loco hujus liturgia S. J. Chrysostomi adhiberi coepit. Orientales[1]) hodie in genere liturgiis Constantinopolitanis utuntur, nisi excipias Armenos, propriam in saec. IV. constitutam liturgiam habentes, quae tamen uti animadvertimus, Constantinopolitanis simillima est. Fideles patriarchatuum Alexandrini Antiochenique etiam propriis utuntur liturgiis, de quibus tamen utpote nostram thesim non respicientibus non est nostri tractare.

Liturgiarum Constantinopolitanarum S. Basilli sequentibus temporibus ceu diebus legitur: in dominicis sanctae ac magnae quadragesimae, dempta palmarum dominica; in sancta et magna feria quinta; in magno Sabbato, in vigilia Christi Dei nostri nativitatis et Epiphaniae ac in festo S. Basilii.

In sancta et magna quadragesima demptis hujus cycli Sabbatis et Dominicis atque feria 5., 6., Sabbatoque magno, liturgia praesanctificatorum canitur, formam hodiernam juxta communem opinionem a S. P. Gregorio M. (590—604.) habens, qui a „Libris Dialogorum", quos conscripsit, a Graecis „Dialogus" apellatur.

Omnibus vero hic non memoratis diebus anni liturgia S. Joannis Chrysostomi perficitur.

In S. Parasceve apud nos nulla liturgia celebratur.

His relatis, incipiamus illustrationem liturgiae ejus, quae communiter in tres partes dividitur: 1) προσκομιδήν

---

[1]) Der griechische Ritus theilt sich in 4 Zweige, den rein griechischen, den griechisch-rumenischen, den griechisch-slawischen und den griechisch-melchitischen. Ferner giebt es einen armenischen Ritus und endlich einen syrischen, der wie der griechische Ritus, wiederum 4 Zweige hat, den rein-syrischen, den syrisch-maronitischen und den syrisch-malabanischen. Und endlich giebt es einen koptischen Ritus. Die Stimme der Wahrheit, Nr. 40. Cleveland, Ohio. 1897.

nempe, 2) liturgiam catechumenorum et 3) liturgiam fidelium[1])

Singulas partes correspondenter huic divisioni separatim tractabimus.

10. §.

De προσκομιδῇ.

Vox haec derivatur a verbo προσκομίζειν = afferre, significatque tempus, in quo ferendae erant a veteribus christianis panum ac vini oblationes (προσφοραί), quae dein ab ecclesiasticis recipiebantur et benedicebantur.[2]) Verbotenus idem significat ac asportatio.

Veteres christiani nimirum memores Dei sermonis: „Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offerret secundum quod habuerit juxta benedictionem Dei sui, quam dederit ei",[3]) in diebus dominicis majorumque festorum, porro quando memoriam celebrabant sanctorum et fidelium defunctorum,[4]) cuncti sine exceptione a caesare usque ad minimum ex domibus suis panes vinumque in ecclesias afferre consueuerant, ut species ad sacrificium destinatas, petentes pro his a sacerdotibus „memento"[5]) in sacrificio.

---

[1]) „In hoc sacramento totum mysterium nostrae salutis comprehenditur . . . Ante celebrationem hujus mysterii primo quidem praemittitur praeparatio quaedam (προσκομιδή ac missa catechumenorum) ad digne agenda ea, quae sequuntur . . . Consequenter acceditur ad celebrationem mysterii (missa fidelium), quod quidem et offertur ut sacrificium et consecratur et sumitur ut sacramentum. Unde primo peragitur oblatio, secundo consecratio oblatae materiae, tertio ejusdem perceptio." S. Thom. 3. q. 83. a. 4.

[2]) Dimitrevskij, Izjasnenie ist. dogm. i tainstvennoje na Liturgiu. Moscoviae, 1856. edit. 4. p. 108.

[3]) Deut. 16., 16., 17.

[4]) Tertull. de monogamia, c. 10.

[5]) Memento, i. e. „Ut deus per modum recordantis se habeat, reminiscendo misericordiae suae et subveniendo in omni tribulatione

En originem et antiquam formam stipendii liturgiae!

Similis consuetudo hodie quoque viget apud fideles graeco-catholicos Hungariae ac nominatim dioeceseos Munkacsensis, ubi in quibusdam parochiis mos est parochianorum diebus dominicis, praecipue vero majoribus festis ac festo dedicationis eeclesiae, peragente sacerdote proscomidiam ad prothesin venire, ut dictent nomina eorum, pro quibus „memento“ volunt. Fit autem hoc eo modo, quod fideles sacerdote particulas s. panis in patenam deponente, singillatim veniunt illum ad insinuanda memorandorum nomina, verbis: „Pomnyani otcse“=memento pater v. gr. servorum Domini: Alexii, Simeonis etc., simulque nummos suos deponunt.

Ex illa ampla panum asportatorum vinique materia una pars pro necessitate quandoque 2 vel 3 panes et totidem calices vini a diaconis seligebantur, adhibitis remansis προσφοραῖς ad sustentandum clerum, partim vero ad adjuvandos pauperes, viduas, orphanosque.

Haec est origo τῆς προσκομιδῆς. Licet talis specierum asportatio refrigescente christianorum pietate plerumque jam multo pridem cessaverit, nihilo tamen minus ecclesia memoriam peraltae consuetudinis devotaeque in constitutionibus liturgiae fideliter conservavit, prout hoc ex subsequentibus palam fiet.

De panibus huc asportatis vix potest dubitari, illos fermentatos fuisse, cum ad communem usum quoque adhiberentur, ast, cum hoc fortuito factum esse a nemine negetur, quoniam libentius humana utitur natura pane

---

et necessitate et tribuendo dona gratiarum“ (Dion Carthus.), ut ait Psalmista in Ps. 105.: „Memento nostri Domine, beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo“. Licet enim sacerdos totam missam ut publica persona ac nomine ecclesiae celebret, tamen adhuc et privatam potest inserere supplicationem.

fermentato, quam azymo, ex hoc minime sufficiens suppeditatur causa ad vituperandos Latinos pro usu azymorum in missis panum, eo minus, cum fermentum, non pertineat ad essentiam panis, utpote solum illius qualitatem, — quae accidens est, — determinans. Essentia etenim panis nostri in eo consistit, ut exclusive ex triticea conficiatur farina, defectus autem fermenti vel praesentia ad accidens pertinet.

Ceterum tum fermentatus, tum azymus panis habent suam pulchram symbolicam significationem. Siquidem fermentatus significat Christi Domini adhuc debile glorificandumque corpus, dum vero azymus purum et jam glorificatum.

Quamvis ad panem quod spectat fermentatum aut azymum, vix invenitur, qui adhuc litem movere auderet, quod ex diversitate hac accidentali valor pendeat sacrificii eucharistici, multi nihilo tamen minus libenter objectant Christum Dominum pane fermentato ultimam celebrasse coenam. Quare ne penitus praetermittere videamur eorum olim tanta fragora excitantia argumenta, paucis complectemur, quae ad hanc quaestionem spectant.

Schismatici adversus usum azymi potissimum sequentia obtrudunt. 1. Longe probabilius est, quam non coenam ultimam Jesu paschalem non fuisse ac eapropter ipsum SS. Eucharistiam in pane fermentato instituisse, quemadmodum ex evangelio S. Joannis[1]) haud obscure colligitur, qui dicit: „Ante diem festum paschae sciens Jesus, quia venit hora ejus . . . coena facta etc.“ Ulterius prosequitur s. evangelista Judaeos non introisse praetorium, „ne contaminarentur,

[1]) Ioan. 18., 1.

sed ut manducarent pascha",[1]) subditque: „Erat autem parasceve paschae",[2]) i. e. vigilia, cum Pilatus morti Christum addixerit, ac proinde prosequitur: „Judaei ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur".[3]) Si igitur ante diem festum paschae Christus coenam celebravit, si in vigilia paschatis crucifixus est, patet aut Christum nullo modo pascha legale celebrasse, aut die saltem praecedenti pascha manducasse, adeoque cum panis fermentatus adhuc in usu fuerat, SS. Eucharistiam instituisse. Hoc autem confirmatur ex eo, quod cum Christus dixisset Judae proditori: „Quod vis facere, fac citius", apostoli haec verba intellexerint de jussione a Christo facta, ut Judas ea emeret, „quae opus erant ad diem festum".[4]) Quae interpretatio locum non habuisset, si dies paschatis jam inceptus esset. Porro si Christus pridie mortis suae comedisset pascha, tunc ipse die festo morti fuisset datus, necnon eodem die fuisset depositus e cruce; a quibus profecto die festo celeberrimo abhorrebant Judaei juxta legis praescriptum.

2. Azymum non esse verum panem, sed aridum lutum ex farina, probabat Cerularius ex eo, quod graece panis dicatur ἄρτος, hoc est elevatus; elevationem vero nonnisi ex fermento potest habere panis.

3. Sublatis veteribus festis a Christo censendum est, et azyma sublata fuisse; communicare propterea cum Judaeis, Latinos perseverantes in eorum usu, siquidem legalia nunc jam mortifera evaserunt, ideoque ab

---

1) Joan. 18., 28.
2) Idem. 19., 14.
3) Idem. 19., 31.
4) Idem. 13., 27. sq.

ecclesia non tantum sublata, sed simul strictissime prohibita. Vel si ea legitime usurpant, cur eodem jure non circumcidunt et sabbata observant?

Melchisedech, maxime prototypus Messiae, cum panem offerret, qui SS. Eucharistiae figuram gerebat, azymo certe non est usus. Atqui Christus sacerdos fuit secundum ordinem Melchisedech, ergo in SS. Eucharistia instituenda azymum non adhibuit.

5. In incunabulis christianismi soli judaisantes haeretici, ut Nazaraei, Ebionitae etc. in azymis consecrarunt, a quibus veri christiani se secreturi, in solo fermentato consecrabant SS. Eucharistiam.

6. Imo saevientibus persecutionibus, quando duntaxat furtim et in privatis domibus offerebatur sacrificium, neque poterant in promptu azymi panes haberi.

7. In synodo Trullana[1]) decretum est: „Ut nemo eorum, qui in sacerdotali ordine numerantur, vel laicus, Judaeorum azyma comedat", quo canone Theodorus Balsamon usum azymi in sacraficio peragendo prohiberi putat. Atqui huic Trullanae sanctioni neutiquam sese opposuerunt Agatho R. P., aut beatus Gregorius episcopus Agrigentinus.

8. Azyma in sacris literis in malam partem, seu tamquam symbola moeroris atque tristitiae i. e. signa doloris sumi solent, quare et panis afflictionis dicuntur; SS. Eucharistia autem laetitiae maximae gandiumque est.

9. Demum Christus in evangelio ita discipulos alloquitur: „Vos estis sal terrae"[2]) et iterum: „Simile est regnum coelorum fermento etc."[3]) Ex quibus concluditur in SS. Eucharistia necessarium esse sal fermentumque.

---

1) Can. 11.

2) Matth. 5., 13.

3) Luc. 13., 21.

Prima solvitur objectio, si stricte determinemus, cujus diei vespere Christus habuerit ultimam coenam?

Opus est nobis hanc ob rem ad hujus coenae typum reverti, quod Israelitis adhuc in גֹּשֶׁן, LXX.: Γεσέμ, vel Gessen degentibus datum fuerat. Nimirum cum Pharao istis molestissimis non moveretur novem plagis, quibus Deus pervicaciam ipsius expugnare voluit, ut populo discedendi veniam concederet, et in sententia sua contumaciter perstaret Moysenque decima vice comparentem rejecisset, hic denunciata proxime secutura primogenitorum caede valde commotus e Pharaonis conspectu abivit, nec amplius nisi accitus compariturus. Priusquam autem hoc fieret, praecepit Deus Moysi, ut decima quarta mensis Nisan ad vesperam, scilicet post meridiem inter solem inclinantem occidentemque, ab omnibus Israelitis sacrificetur agnus, — cujus sanguine aspergeret quisque postes domus suae, — una cum azymis utpote symbolis puritatis ac sinceritatis[1]) atque lactucis agrestibus, qua symbolis afflictionis poenitentiaeque. Quare panis hic etiam „panis afflictionis“[2] appellatur, cum potissimum finem haberet, Judaeis liberationem ex illa afflictione adoptionemque in populum Dei indicandi.

Judaei mandatum implevere. Et ecce in medio istius noctis in qua Hebraei pascha fecerunt juxta verbum Dei, Angelus exterminator primogenita Aegyptiorum tam in hominibus, quam in jumentis occidit, solis abstinens aedibus, illitis sanguine agni.

Subita calamitate Pharao tandem perterritus metuque futurorum victus, vocavit Moysem Aaronemque ac Hebraeos regione egredi se permissurum ait.

Rei, quae beneficium mortis Christi tam clare prae-

---

1) I. Cor. 5., 7.

2) Deuter 16., 3.

nunciabat, praecepit Deus renovare memoriam, sive de ea festum solemne, quod „פסח“, LXX.: „πασχα“, Vulg. „phase“ i. e. transultus dictum est, singulis annis celebrari, eo die, ea hora, iisdem ritibus, prout verus Agnus scilicet Jesus Christus in cruce immolatus est, et quidem in memoriam redemptionis Israelitarum ex Aegypto ac in typum sacrificii Christi cruenti incruentique SS. Eucharistiae; nam agnus in formam crucis expansus et assatus Cristum amore nostri in cruce assatum typice adumbrabat. Agnus paschalis comedendus erat absque fermento, quod graece Ζύμη dicitur, id est panis sine fermento, quia exitus Israelitarum ex Aegypto festinanter contingere debuit, quare non poterant exspectare, donec massa farinacea fermentaretur, eratque tum propitiatorium, tum pacificum sacrificium, unde Josephus Flavius et Philo illud θυσία vel θῦμα appellant.

Hebraei citato praecepto edocebantur: nihil retinendum ex vetustis consuetudinibus Aegypti, sed mores novos esse instituendos, quae moralis innovatio adhuc magis spectat christianos, utpote quos decet esse azymos, in quibus videlicet nihil vetustum sit oportet, redolens pravos vetustosque mores. Advertendum tunc fuisse plenilunium mensis Nisan post aequinoctium vernum, cum terra quasi carcere hyemis soluta aperiatur induatque se floribus, ut aliud anni tempus non facilius advertatur. Eodem mense, cum luna plena esset post aequinoctium vernum pariter Deus per Jesum Christum, qui tunc passus est, a diaboli servitute, cujus Aegyptiaca signum fuerat, homines liberavit.

His praemissis nunc jam videamus, quo die Christus Pascha comederit?

Sane res non levem habet difficultatem, si sola evangelistarum auctoritate definiri velit. Valde enim arduum

est ac operosum S. Joannis narrationem cum synopticis conciliare, quippe qui nonnulla habet, quae ostendere videntur a Christo legale pascha minime fuisse celebratum, si vero ceteros evangelistas evolves, contrarium apparebit. Primus circa hanc quaestionem movit litem Marcion haereticus, conatus ejus tamen in irritum cecidisse videntur, cum ex primorum saeculorum historia non constet, inductam ab eo sententiam alicui deinde placuisse.

Nonnisi saec. VI. Joannes Philopponus, Eutichiana scabie contaminatus, Monothelitis addictus ac Tritheitarum coripheus sopitam hanc opinionem instauravit libello in lucem emisso de Paschate. Verum nec iste errorem propagare potuit. Epocha igitur, qua primum ea coepit opinio nonnihil invalescere, in XI. saeculo fingenda est. Tunc siquidem Michael Cerularius patriarcha Constantinopolitanus anno scilicet 1058. data ad Joannem Tramensem in Apulia episcopum epistola ecclesiam Romanam dicteriis plurimis proscidit laceravitque eo praesertim ex capite, quod in SS. Eucharistia conficienda azymo pane uteretur. Hanc epistolam undique cribratam postea fortiter acriterque oppugnavit Leo IX. R. P. aliique, serius etiam protestantes. Intentata lite incalescentibus animis Graeculi multi demonstraturi panis fermentati necessitatem Marcionis sententiam sustinere coeperunt, scilicet quod Christus ultimum Pascha Mosaicum cum discipulis suis non comederit.

Recruduit deinde contentio a. 1689., quo Bernardus Lamius, presbyter oratorii Gallicani, vir multijugis erudítionis Harmoniam suam Evangelicam edidit, in qua totis viribus hanc sententiam illustrare roborareque conatus est, Christum scilicet eo die interfectum, quo Judaei agnum paschalem comesturi erant et proinde Pascha

supremum ab eo minime fuisse celebratum. Per se patet quod licet cunctis ingenii doctrinaeque suae viribus sententiam suam probare studeret, nihilo tamen minus hostium tela repellere non potuit, imo quo longius semper plures in se doctorum calamos concitavit, quorum celeberrimus est quidam latens sub nomine Abbatis Albigensis conscribens opus sub titulo Apologia Arnaldi et Bouhours, in quo Lamiana opinio tamquam sacris literis, patribus ac synodo Tridentinae contraria, refellitur. Occasione hujusce litis tot variae opiniones a doctoribus Lamium refutantibus inductae sunt, ut quaestio implicatior facta esse videatur. Siquidem ut Joannem cum ceteris evangelistis eruditi in concordiam revocarent, varias vias inierunt, multaque systemata excogitarunt.

Una pars eorum asserit, pascha Mosaicum a Christo die 14. mensis Nisan comestum fuisse, alii cum Bucherio dicunt a synagoga salutari consilio institutum fuisse, ut immolatorum ingenti numero duo dies concederentur, ita ut una die Galilaei, altera vero Hierosolymitae agnum paschalem mactarent ederentque, ac priori quidem pascha celebrasse Christum, quae sententia nobis maxime arridet. Alii iterum ad tabulas astronomicas aliasque conjecturas confugiunt. Nos quemadmodum meminimus penultimae adhaeremus sententiae, cujus ope facile ostendere possumus argumentum schismaticorum ex evangelio S. Joannis collectum, — acsi coena Jesu ultima non fuisset paschalis et eapropter ipsum SS. Eucharistiam in pane fermentato instituisse, — serio fundamento omnino carere, contradictionique evangelistarum apparenti superstructum esse. Etenim Christus desideravit tum vetus, quam novum pascha manducare; istud quidem, quia in eo seipsum nobis in perenne amoris pignus relinquere voluit; hoc autem quia secum ferebat tempus, quo ipse tamquam

agnus innocens ad victimam duceretur ac humanum genus pretiosi sanguinis sui effusione aeterno Patri reconciliaret, ut aperte significavit, cum ajebat: „Baptismo habeo baptisari, et quomodo coarctor, donec perficiatur." Porro tres evangelistae cum S. Joanne optime possunt conciliari, si assumitur Christum pascha Judaicum in primis vesperis diei festi paschalis, qui est 14. mensis Nisan, id est occasus diei 13. Quamvis dies haec potiori sui parte festiva non fuerit, paneque fermentato in ea vesci usque ad meridiem licuerit, nihilominus cum dies festi Judaeorum a primis vesperis diei praecedentis expleto sacrificio jugi incipiant, potuit Christus legaliter cum ceteris Galilaeis die 14., quae incipiebat a primis vesperis, in templo agnum paschalem immolare ac post occasum solis cum discipulis suis comedere. Recte itaque Matthaeus, Marcus et Lucas diem illum primum azymorum vocant, quemadmodum S. Augustinus[1]) quoque ait: „Matthaeus evangelista quintam Sabbati dicit fuisse primam diem azymorum, quia ejus vespera sequente futura erat coena paschalis, qua coena incipiebat azymum et ovis immolatio manducari."

Sentientia haec Bucheri nititur traditioni Judaicae,[2]) juxta quam expleto sacrificio jugi vespertino, immolato hora secunda cum dimidio post meridiem oblatoque hora tertia cum dimidio, incipiebat in templo agnus paschalis immolari, ad vesperam ut dicitur in s. scriptura. Judaei enim ante quodvis festum „Parasceven", Hebraice „Ereb" dictam habuerunt, imo huic jam ex praecedenti die partem adjiciunt dicentes: „addere profanum sacro = הַחוֹל עַל הַקֹּדֶשׁ מוֹסִיף[3])

[1]) Ep. 86. ad Casulanum.

[2]) Thalmud fol. 55. et 64. in tract. Pesachim, in Mischna cap. 5. §§. 1—5.

[3]) R. Josephus Karo in Ba-yt Hhadasch, aliisque passim.

Ex praemissis igitur colligere possumus S. Joannem in primo textu diem festum paschae non ecclesiastice summere, quo pacto dies illa apud Hebraeos incipiebat a vespera claudente lunam 14., sed civiliter, quo modo iste dies primus azymorum jam antea inchoabatur. Jam ex traditione judaica[1]) scimus nunc determinato tempore, i. e. festo introductionis cautum fuisse, ne quid operis servilis perageretur, imo insuper ne in ulla Judaeorum domo panis fermentatus inveniatur, qui itaque a primis vesperis diei 14., seu in secundis vesperis diei 13. auferebatur. Non potuit ergo Christus ultimam coenam nisi in azymis conficere et sic SS. Eucharistiam quoque non in fermentato, sed in azymo pane instituit. Ceterum Christum pascha una die praeoccupasse non solum S. Joannes testatur, sed et ipse Salvator sat clare significat verbis illis: „Tempus meum prope est," scilicet moriendi ac legationem consummandi, quam ex aeterno Patris consilio in semet suscepit.

Ex eo, quod in vigilia paschatis tantum una pars agnum paschalem comederit, consequens erat Judaeos non introivisse in praetorium Pilati, ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha, adhuc ab ipsis immolandum in secundis vesperis ejusdem diei 14. post expletum juge sacrificium vespertinum.

Ut praedicta eo magis pervia reddamus, addere consuluimus, Judaeos dies festos ac feriales non eodem modo computari consuescere. Etenim festos in vespera praecedentis diei naturalis inchoant, vesperaque sequentis diei naturalis terminant; feriales autem a crepusculo matutino incipiunt et si festum non succedat usque ad alterum crepusculum matutinum illos computant, festo vero succedente ad occasum solis terminant. Hinc dies

[1]) Rabbi Maymonides, De fermento et azymo cap. 2.

ferialis non succedente festo ab ortu solis ad alium ortum durat; succedente autem festo ab ortu solis tantum ad occasum ejus, seu nocte exclusa. Et sic cum luna 14. mensis Nisan festiva non fuerit, initium ejus non ducebatur ab occasu solis diei praecedentis 13., sed tantum a crepusculo matutino, i. e. ortu solis diei 14. Contra vero, cum luna 15. ejusdem mensis festiva fuerit, inchoabat a vespera diei 14. et terminabatur cum vespera sequente diei 15. Ergo dies primus azymorum cum veritate vocari potuit tam luna 14., quam 15., quia cum dies ille festivus fuerit, componebatur ex posteriori parte lunae 14. ac ex priori parte lunae 15., ut modo diximus.

Dein recte, quae Judae a Christo Domino dicta fuerunt, apostolos de emptione necessariorum ad diem festum, nempe azymorum, qui die sequenti post pascha celebrabatur, i. e. diem 15. mensis Nisan, interpretatos fuisse.

Ex prolatis sequitur ulterius Christum Dominum die ipso solemnissimo azymorum nec affixum, nec depositum fuisse de cruce, quod traditio quoque Judaica[1]) confirmat asserens: Christum fuisse crucifixum in vigilia paschatis=בְּעֶרֶבפֶּסַח. Praeterea constans est traditio synagogae, hanc vigiliam paschatis in diem veneris incidisse scribens verbi gratia auctor libri „Tholedot Jescia" de morte Christi: „Erat eadem haec dies et parasceve paschatis et simul sabbati parasceve."[2])

Ad secundum respondemus: origines vocum non tam ex ipsa rerum natura, quam ex mero hominum arbitratu derivari, quare frequenter contingit, ut notum est, voces quae in usu sunt, longe alia significatione usurpari, quam etymologia postularet. Contra schismaticos

---

1) Thalmud, tract. cit. fol. 67.

2) Wagenseilii „Tela ignea satanae" p. 18. Altdorf Noric. 1681.

stat ipse quoque S. Lucas, appellans panem, quem Christus post resurrectionem suam accepit fregitque et in cujus fractione duo discipuli eum cognoverunt ἄρτος.[1]). At certum illum panem azymum fuisse, cum hoc factum contigerit diebus azymorum. Ceterum Ciampinus[2]) plurima congessit testimonia medicorum historicorumque testantia, azymum semper ut verum panem spectatum fuisse, usumque ipsius apud non paucas antiquiores nationes per plura saecula invaluisse. Denique Christus non graece locutus est, sed aut syriace, aut hebraice et proinde non τόν ἄρτον dixit, sed לֶחֶם (lechem), quae vox in pentateucho modo azymum, modo fermentatum significat, imo et manna etiam dicitur ἄρτος. Nihil valet ergo argumentum schismaticorum ex ἄρτῳ compositum, cum substantia hujus in mixto farinae et aqua igne subacto consistat.

Ad tertium retorquendum, — si fas est recriminare, — adducimus Moysen[3]), qui ait: „Offeret panes fermentatos cum hostia gratiarum, quae offertur pro pacificis," dicimusque: ergo schismatici et in genere Graeci judaizant. Nonne analogica est retorsio? Imo ulterius progredimur, objicimusque, si omnia Mosaica per Christum abolita fuisse velint, quare illis templum, altare, sacrificium; cur non foras ejiciunt candelabra, thymiama, paramenta etc.? Unde habent pascha, pentecostes, sacerdotes, etc.? En haec cuncta judaici originis esse omnibus constat et tamen adhibitione eorum non judaizamus, quia et si Christus Mosaicam legem generatim loquendo abrogaverit, id non obstat, quominus aliqua prudenter ab ecclesia retenta sint, sed non ob eundem finem, translatione jam facta ab umbris ad lucem, a signis ad veritatem, a timore ad amorem.

---

1) Luc. 24., 30., 36.

2) De azymo et fermentato cap. 2.

3) Lev. 7.

Ad 4-um respondere oportet, verum esse oblationem Christi in oblatione Melchisedech praefiguratam fuisse, sed ad hoc minime necessaria est omnimoda similitudo, cum adimpletioni hujus sufficiat sive azymus, sive fermentatus panis. Tandem adversarii non possunt scire, qualem in sacrificio suo adhibuerit Melchisedech panem?

Ad 5-um. Haeretici isti judaizantes non solum pane azymo in mysteriis celebrandis utebantur, sed praeterea totam legem judaicam cum religione christiana conjungere satagebant, eamque conjunctionem necessariam esse ad salutem profitebantur. Merito proinde ab ecclesia proscripti sunt, cum re in se bona ac indifferenti abuterentur. Optime observat ad hoc Angelicus[1]) dicens: „Conficientes ex azymo non intendunt caeremonias legis servare, sed conformare se institutioni Christi. Et ideo non judaizant. Alioquin et celebrantes in pane fermentato judaizarent, quia Judaei panes primitiarum fermentatos offerebant."

Objectio 6-ta vix digna est mentione, cum nemo contendat, apostolos eorumque successores nunquam in pane fermentato consecrasse; imo ipsi eruditi Latini profitentur, eos pro opportunitate verosimiliter tum in azymo, tum in fermentato sacrificasse.

Ad 7-um dicimus, in allato synodi Trullanae canone non de materia sacrificii agebatur, sed dumtaxat de familiaritate cum Judaeis vitanda, ne cum iis cibum capere christiani audeant ac azyma ab ipsis recipere, eos curandis morbis adhibere, aut cum ipsis balneare. Denique S. Agatho R. P. † 681., synodus vero Trullana (Quini-sexta) anno 692. habita est; decennio ergo e vivis psublatus fuerat et Gregorius Agrigantinus illi concilio raesens non fuit.

---

1) III. p. q. 74. art. 4. ad. 2.

Ad 8-um ajimus, azymum merito a Moyse panem afflictionis vocatum fuisse, quia in memoriam Hebraeis revocabat aerumnas, vexationes calamitatesque tempore durissimae servitutis Aegyptiacae perpessas. Sub alio autem respectu panis hic argumentum causaque fuerat ingentis gratulationeque dignae laetitiae, nempe quod ab iisdem angustiis liberati fuerint.

Ultima, i. e. 9-na objectio tam futilis est, ut vix ullam mereatur refutationem, nam eodem argumenti genere concludi posset SS. Eucharistiae etiam palmites admiscendos esse et grana sinapis, dixit enim Christus discipulis suis: „Vos estis palmites“[1]) et alibi: „Simile est regnum coelorum grano sinapis.“[2]) Quibus adhuc addere possumus, sane fermenti nomen tantum semel in bonam partem, — loco scilicet in objectione laudato, — sumptum esse, e contra pluries occurrit in sensu malo, v. gr.: „Cavete a fermento Pharisaeorum,“[3]) quod est hypocrisis, aut: „Expurgate vetus fermentum etc.“[4])

Tandem schismatici hunc suum corroboraturi errorem ad quasdam futiles fabulas, — quas miracula volunt esse Domini nostri J, Christi, — recurrunt, ut testatur Hergenröther[5]) dicens: Fragt man, woher Christus damals gesäuertes Brod erhalten, so berufen sich die Griechen auf seine Allmacht, mit der er es entweder schaffen oder ungesäuertes fermentiren konnte,“ quod satis ridiculum esse argumentum, nemo non videt. — Idem[6]) porro notat: „Aus dem pedalion p. 54. wird bei Pitzipios Egl. or. I. 127. seq. angeführt, Nikol. Hydruntinus op. κατὰ

---

1) Ioan. 15., 5.

2) Matth. 13., 31.

3) Matth. 16., 6.

4) I. Cor. 5., 7.

5) Photius t. III. p. 743.

6) Ibedem n. 62.

ἀζύμων erzählte, man habe neben anderen Reliquien im kajserlichen Steuophylakion ein Gefäss mit Brod und der Inschrift gefunden: Ἐνθάδε κεῖται ὁ θεῖος ἄρθος, ὃν ὁ Χριστὸς, τοῖς μαθηταῖς ἐν τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου διένειμεν εἰπών: λάβετε, φάγετε κ. τ. λ. Ein Zeuge für das zur Beschämung der Lateiner geschehene Wunder sei auch Bischof Georg von Corfu; die Franken hätten bei ihrer Eroberung das heilige gesäuerte Brod verbergen wollen, was aber durch ein Wunder misslungen sei."

Sane, — ut non ponamus operam in plus dicendo, — suspicere est, quod de tam gravi re ex priscis christianismi saeculis nullus ss. patrum historicorumque aliquid sciat.

Liquide igitur ex adductis patet, injuste a schismaticis improbari usum azymi in SS. Eucharistiae confectione, utpote qui et ipsius Christi Domini exemplo, — quemadmodum ostendimus, — nititur. Sin minus post Cerularii tempora Graeci quoque hujus rei justitiam agnoscentes, in concilis Florentino solemniter fassi sunt, corpus Cbristi sive „in azymo, sive in fermentato pane triticeo veraciter confici,"[1]) sacerdotesque in alterutro ipsum corpus Domini conficere debere, ut quilibet nempe sequatur morem ecclesiae suae.

De pane fermentato, cum nemo sit, qui dubitet, materiam validam esse sacramenti et sacrificii eucharistici, nullam constituimus quaestionem.

Antequam ritum proscomidiae describeremus, prius definitionem quamdam Ikonostasion[2]) consuluimus proferre, quippe quod multum juvabit lectorem forsitan peregrinum in intelligendis caeremoniis ritus nostri serius exponendis.

---

[1]) Apud Harduin. Acta Concil. tom. 9. col. 986.

[2]) Dr. Mikita, Liturgika, p. 19.; Roskovics, Gör. kath. katekizmus, p. 56. Vide in Append. fig. 1.

Est Ikonostasion paries quidam ex imaginibus repraesentantibus antiquum testamentum in principalioribus personis, novum vero etiam in praecipuis eventibus, juxta certum ordinem compositus, eoque fine in sanctuario collocatus, ut domum Dei ornet ac simul instar bibliae pictae continuam instructionem suppeditet fidelibus praesertim analphabetis de majoris momenti phasibus historicis nostrae salutis, deque personis sanctis, quarum virtutes nos imitaturi sumus. Paries hic ligneus in primis saeculis solummodo βηλοθόρῳ velut cortina velatus fuerat, qui cum vacuus esset adeoque inaesteticus, a fidelibus ss. picturis ornari coepit, quas dein praesules ecclesiae in certum ordinem relegerunt.

Historici ecclesiastici usque finem saeculi IV. non faciunt de Ikonostasion mentionem. Eusebius Caesar.[1]) primus memor est cujusdam parietis in ecclesia Tyri ab episcopo Paulino ex retibus constituti dicens: „τοῖς 'απὸ ξύλου δικτύοις“, qui hodiernis theatralibus similis videtur fuisse, et ex quo paulatim in decursu temporis sicut nuper meminimus, evolutum est modernum Ikonostasion nostrum. Collocatione sua destinatum est sanctuarium internum totaliter a fidelibus praecludere, ut tali modo sensu strictissimo „Sancta Sanctorum“ sit. Et reapse locus hic ceu pro solis clericis destinatus aspicitur, ubi ergo laicis, — excepto rege propter inaugurationem cum oleo sacro, — sub liturgia commorari legibus ecclesiasticis, quamvis proh dolor non ubique cum optato effectu observatis, severissime interdicitur. Huc spectant, ut sequitur: „Nulli hominum liceat, qui sit in laicorum numero, interna septa sacri Altaris ingredi, nequaquam prohibita ab eo potestate et auctoritate imperiali, quan-

---

[1]) Histor. eccl. lib. 10. cap. 4.

doquidem voluerit dona Deo offerre ex antiqua traditione;"[1]) vel: „Ut laici secus altare, quando sacra mysteria celebrantur, stare vel sedere inter clericos non praesumant: sed pars illa, quae cancellis ab altari dividitur, tantum psallentibus pateat clericis.[2])

Ikonostasion partim pro clericis, partim vero pro servis tres portas habet, quarum media velata est ad magis praecludendos aspectus fidelium ac porro quia olim in ecclesiis loco portarum velum adhibebatur, ad instar illius in templo Salamonis. Porta haec speciali nomine πυλαὶ βασιλικαί=portae regiae est insignita, cum hanc solus sacerdos repraesentans Christum regem gloriae transgredi queat. Porta a sinistra sita propter usum a diaconis „porta diaconica" vocatur, a dextera vero sita „porta paramonaria," a voce graeca παραμονάριος=mansionarius, custos ecclesiae, sic dicta, estque pro famulis inferioris gradus destinata.

Picturae in quinque classibus sunt super hoc pariete dispositae. Primam classem picturae super memoratis portis dislocatae constituunt. Et quidem in dextera porta videmus S. Michaelem, in sinistra autem S. Urielem, per associationem idaearum nobis in memoriam reducentes amissum paradisum, expulsis protoparentibus custodiae angelorum confisum, simulque istam tristem sortem, cujus genus humanum sub antiquo testamento particeps fuerat. Praeco evangelii de nascituro Salvatore S. Gabriel in portis regiis supra locum habet, dum hoc factum toti mundo praedicantes 4 evangelistae inferius videntur.

Ad secundam classem pertinent 4 picturae „fundamentales" dictae, quarum prima, in dextera parte sita

---

1) Trullanum, c. 69.

2) Cap. 1. (x) lib. III. tit. 1.

repraesentat J. Christum adhuc infantem in sinu brachiisque B. V. Mariae, mentionemque tali modo Verbi incarnati agitat. Secunda effigies a sinistra posita pariter J. Christi est, ast jam qua judicis generis humani in die irae Dei. Hanc ob rem hic cum benedicente dextera pingitur, in sinistra apertum evangelii librum tenens cum inscriptione: „Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.“[1]) Quoad tertiam fundamentalem picturam, quae etiam a dextera ponitur, usus apud Graecos variat. Ordinarie figura S. Michaelis, velut patroni totius ecclesiae affigitur, passim vero S. Joannis Baptistae, utpote patroni totius ecclesiae docentis. Apud nos in Hungaria usus generatim viget, ut tertia fundamentalis pictura S. Nicolai Myrensis sit, qui patronus est ecclesiae nostrae. Tandem quarta pictura fundamentalis, quae a sinistra parte locum habet, ipsius ecclesiae dedicationem in conspectum dat. Sensus igitur anagogicus harum picturarum id est, ut in altero Christi adventu patronus ecclesiae universalis necnon partialis liberet nos a damnatione aeterna.[2])

Super his dislocatae sunt picturae 12 festorum in medio cum ultima coena et quidem eo ordine, ut a dextera sex festa B. V. Mariae inveniantur, nempe: 1. Nativitas sanctissimae Dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae (Τὸ Γενέθλιον τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν, Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας; 2. Praesentatio B. V. M. (Τὰ ἐν τῷ ναῷ Εἰσόδια τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου; 3. Annunciatio (Ὁ Εὐαγγελισμός τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας; 4. Purificatio B. M. V. (Ἡ Ὑπαπαντὴ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ;) 5. Fuga ipsius in Aegytum (Ἡ

[1]) Mat. 25., 34.

[3]) Dr. Mikita o. c. p. 20.

Θεοτόκος φεύγουσα εἰς Αἴγυπτον); 6. Obdormitio sanctissimae gloriosae Dominae nostrae Deiparae et semper virginis Mariae (Ἡ κοίμησις τῆς ὑπεραγίας ευ'δόξου Δεσποίνης ἡμῶν, Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας); in sinistra vero item sex festa J. Christi, nempe: 1. Domini et Dei et Salvatoris nostri J. Christi Nativitas secundum carnem (Ἡ κατὰ σάρκα γέννησις τοῦ Κυρίον καὶ Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ); 2. S. Manífestatio Dei (Τὰ ἅγια Θεοφάνεια); 8. Triumphus D. N. J. Christi in dominica palmarum (Τῶν Βαίων); 4. Resurrectio (Τὸ ἅγιον Πάσχα); 5. Ascensio (Τῆς 'Αναλήψεως); 6. Pentecostes (Τῆς Πεντεκοστῆς); — quae universim tertiam picturarum classen componunt.

In quarta classe, — in medio cum pictura Christi qua Pontificis aeterni una cum B. V. Maria et S. Joanne Bapt. perpetuo pro nobis orantibus sunt 12 apostoli; nimirum a dextera: S. Petrus, S. Marcus, S. Andraeas, S. Matthaeus, S. Bartholomaeus et S. Thomas; a sinistra autem; S. Paulus, S. Lucas, S. Joannes, S. Jacobus M., S. Simon et S. Philippus.

Quinta classis prophetis est dedicata, quorum sex occurrunt a dextera, et quidem: Moyses, David rex, Jeremias, Daniel, Micheas atque Sophonias; a sinistra vero: Aaron pontifex, Salamon rex, Isaias, Esechiel, Sacharias et Malachias.

In cacumine hujus parietis videtur figura Jesu Christi cruci affixi cum B. V. Maria et S. Joanne Ev. Notandum, per tres medias in Ikonostasion dispositas Salvatoris figuras triplex ejus munus repraesentatum esse, scilicet propheticum, regium et sacerdotale. Ecclesia ante Ikonostasion in honorem sanctorum ibi per imagines repraesentatorum durantibus ss. officiis cereos sive candelas jubet accendere.

Ikonostasion ut per se patet, κατ᾽ἐξοχήν judicium extremum symbolisat, ac ibi quidem ecclesiam triumphantem.

Locum ipsius accomodatissime esse in sanctuario — observante Mikita[1]) — exinde sequitur, quod ecclesiae nostrae singillatim per tres suas, ex quibus comqositae sunt, partes, his proprias significationes habeant. Nimirum pronaos patientem, navis certantem, sanctuarium vero triumphantem repraesentat ecclesiam. Itaque pronaos de praeterito commemorat, hoc est de catechumenis, energumenis, poenitentibus et de mortuis; navis juxta allatam significationem repraesentat fideles vivos certantesque, quare justo vexillis ornatur; e contra sanctuarium utpote symbolum ecclesiae triumphantis futurum praefigurat, ideoque perconvenienter imaginibus sanctorum ceu regni coelorum incolis ornatur.

Quod attinet usum picturarum, cuilibet notum est, illum in a. testamento prima Decalogi prohibitum fuisse, utique periculi causa, ne Israelitae usu harum forsitan ad polytheismum ducerentur. Nihilo tamen minus dismembrato regno res se mutavit. Etenim in schismaticam partem, ad quam 10 tribus sub Jeroboam pertinebant, ab hoc via legali introductus est cultus Jehovae per imagines. Hic siquidem Aegyto reversus, — ubi antequam sceptrum regni occupasset, diutius commorabatur cultuique ibidem Aegyptiaco edoctus est, — ut retineat subditos a sacrificando in Jerusalem, ad instar patrum in deserto,[2]) in Dan ac Bethel vitulos aureos erexit, imitans Eegytios, qui pariter in duobus locis (Memphis et Heliopolis) ast vivos vitulos alebant. Sane prophetae semper protestabant contra talem Jehovam colendi mo-

[1]) O. c. p. 22.

[2]) Exod. 32., 1.

dum, locosque illos veluti oppida turpis idololatriae designabant.[1])

Secus se res habet in novo testamento, cum ecclesia opificia christiana veluti tapetum aspiciat, sub pedes regni coelorum extensum, sive portas in aeternum paradisum ducentes, pro quo mundus hic porticus est.

Ex mente S. Thomae[2]) triplicem habent picturae finem: 1. Debent esse „ad excitandum devotionis affectus, qui ex visis efficacius excitantur, quam ex auditis," 2. ut sanctorum exempla magis in memoria essent, dum oculis quotidie repraesentantur, 3. „ad instructionem rudium, qui eis quasi quibusdam libris edocentur."

Usus picturarum in ipsa natura humana fundatur, quae semper-semperque studet invisibilia sensibus subjicere, absentiaque ac praeterita praesentia reddere. Quocirca ecclesia artifices continuo magni aestimabat, utpote tales, qui idealem vocationem habeant: qua sacerdotes pulchri in extendendo Dei regno cooperari atque evangelium miseris praedicare,[3]) advertente Ambergerio:[4]) „Von jeder ist die Kunst eine des sorgfaltigst gepflegten Pflanzen im Garten der Kirche gewesen und ward fon ihren Dienern gewartet und verbreitet und gross gezogen."

His praemissis prosequamur thesin nostram!

Jam sacerdos convenienter praeparatus ad liturgiam cum ecclesiam ingrediatur, sistit se coram porta regia et ter adorat ad orientem versus altare dein Salvatoris atque Deiparae imagines, toties humiliter se inclinando. Ulterius invocat Spiritum S., ut descendat super eum purificetque animam ejus ab omni macula, ut puro corde queat coram altari Altissimi stare ac digne incruentum

[1]) Amos 3.. 14.; 5., 5.

[2]) 3. Sent. dist. 9. qu. 1. art. 2.

[3]) Jansen, Geschichte des deutschen Volkes, I. 130.

[4]) Pastoraltheologie, II., 875.

perficere sacrificium. Finitis precibus pro se, adstantibus cunctisque fidelibus, facit aliquot passus ad dexteram statque coram imagine Salvatoris, ubi inclinat se et laudes profert ob incarnationem nostrae salutis causa factam.

Exinde ad iconem B. V. Mariae proficiscitur, ubi simili adoratione perfecta, implorat patrocinium ejus et interventionem laudatque gloriam Mariae supra omnes visibiles atque invisibiles creaturas.

Denique iterum ad locum pristinum, scilicet ante portas regias revertitur, ubi in nova oratione aspectum jacens ad magnum mysterium a se perficiendum, cui ipsi angeli quoque cum tremore adstant, atque agnoscens suam debilitatem et insufficientiam, precatur Deum, ut demittat manum suam, i. e. virtutem in adjutorium, ut digne inculpateque possit incruentum peragere sacrificium.

Absolutis invocationis auxilii divini precibus sacerdos intrat sanctuarium dicens: „Deus propitius esto mihi" necnon psalmum: „Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Domine deduc me in justitia tua, propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam,"[1]) atque ibidem trinam faciens reverentiam versus altare et respective Orientem, osculatur altare ac evangelium vaditque ad sacristiam vestimenta induendi causa.

Hujusmodi actus rituales cultum Dei externum constituunt, tantopereque necessarii sunt, ut sine illis procul dubio nulla existere queat religio, cum ea sit humanarum mentium vel imbecillitas vel ignavia, ut ad divinorum officiorum contemplationem non possint homines,

---

[1]) Ps. 5., 8., 9.

vel nolint assurgere, nisi signis externis identidem admoniti atque adjuti fuerint, absque quibus ceu profligatis caeremoniis externis certe interna quoque lanquesceret religio sensimque exsiccaret.

Notare juvat theologos plerumque discernere inter caeremonias ac ritum utpote expressiones non synonimas velleque, ut per caeremonias ipsae res signaque sacra designentur, quae ecclesia expressis verbis apostolicae traditionis esse docet, dicens:[1]) „Caeremonias item adhibuit, ut misticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.“ Ad quae chatechismus Romanus, qui in his, sicut in caeteris omnibus concilii Tridentini vestigia sequitur, inquit: „Habet hoc sacrificium multos eosque maxime insignes et sublimes ritus, quorum nullus supervacaneus et inanis existimandus est; verum omnes eo spectant, ut et tanti sacrificii majestas magis eluceat et salutaribus mysteriis induendis ad rerum divinarum, quae in eo sacrificio occulta sunt, contemplationem fideles excitentur.“ Iidem porro per ritum dumtaxat modum, qui circa caeremonias adhibendus est, intelligunt.

Alii non distinguunt inter haec vocabula, unumque pro altero haud raro adhibent, cum in praxi utrumque simul conveniat, promiscueque usurpari soleat.

Relicta philologis cura investigandi originem ac etymologiam harum vocum, nos magis de causis hanc rem commendantibus quaestionem constituimus, dici-

[1]) Trid. 22. sess. de liturgia cap. 5.

musque, hominem utpote synthesin non sola mente, sed sensibus quoque praeditum, sensibilibus ritibus indigere, quibus ad pietatem excitetur et ad divinum cultum instituatur. Constat hoc praesertim de analphabetis, quorum mentes illo egregie adjuvantur, cum majestas Dei ipsis in splendore atque pompa caeremoniarum considerandа objicitur. Quare ut jam S. Augustinus[1]) monuerat, quaelibet religio peculiares habuit ritus symbolicos etiam ad hunc finem obtinendum institutos, inquit enim: „In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur etc., cum in his coelestium rerum qoddam, veluti spectaculum in terris exhibeatur."

Pulchre advertit de caeremoniarum utilitate S. Thomas:[2]) „Exercentur etiam ab hominibus quaedam sensibilia opera, non quibus Deum excitent, sed quibus seipsos provocent in divina, sicut prostrationes, genuflexiones, vocales clamores et cantus: quae non fiunt, quasi Deus his indigeat, qui omnia novit et cujus voluntas est immutabilis: et affectum mentis et etiam motum corporis non propter se acceptat, sed nos facimus, ut per haec sensibilia opera intentio nostra dirigatur in Deum, et affectio accendatur: simul etiam per hoc Deum profitemur animae et corporis auctorem, cui et spiritualia et corporalia obsequia exhibemus."

Dubitare nequit, ritus essentiales ab ipso Christo Domino, caeteros vero partim ab apostolis, partim autem ab horum successoribus fuisse institutos, qui teste historia diligenter curabant, ut divina mysteria, ea qua par est, ratione tractentur cultusque Dei ea qua decet dignitate

---

1) Contra Faustum Mannich. lib. 19. c. 2.

2) L. 3. contra Gentiles, c. 119.

perficiatur. Sic S. Basilius[1]) multos enumerat ritus, quos ut ait „in primordiis ecclesiae praescripserunt apostoli et patres“.

Respective ad caeremonias, quae in s. liturgia occurrunt, duplicem in his considerandis distinguimus modum: 1. quatenus in missa repraesentatur sacrificium crucis et 2. quatenus in ea sacrificium verum propriumque offertur. Sub primo respectu „sistitur in missa Christus Patribus promissus et ab eis consideratus, — nobis datus, nobis natus, — pro nobis in mundo conversatus, passus, crucifixus et mortuus, resurrectione et ascensione glorificatus et iterum venturus ad suos glorificandos“;[2]) sub altero vero respectu caeremoniae referuntur partim ad Christum, quatenus nempe victima est incruenta et simul offerens principalis; partim ad sacerdotem utpote offerentem secundarium et partim ad ecclesiam, a qua et pro qua sacrificium offertur. Utribusque respectibus in expositione nostra singularem impendemus curam.

Fidem superat, ecclesiam ut majestas sacrificii ipso etiam externo ministrorum habitu commendaretur atque in animos laicorum pii de sanctis functionibus sensus inducerentur, ab incunabulis ad celebrandam s. coenam specialia quaedam indumenta praescripsisse, ut horum „nitor veluti radius quidam esset sublucentis ex animo internae puritatis et innocentiae“.[3]) Ex iisdem motivis sacerdotes a. testamenti in tractandis rebus sacris splendida induisse vestimenta, scimus ex Esechiele[4]) dicente: „Cumque ingrediuntur portas atrii interioris, vestibus lineis induentur“, ad quae S. Hieronymus observat. „Per

---

1) Lib. de Spiritu S. c. 27.

2) Müller o. c. t. III. p. 27.

3) Fleury, Discipl. pop. Dei p. 3. c. 6.

4) Esech. 44., 17.

quae discimus, non quotidianis et quibuslibet pro usu vitae communis pollutis vestibus ingredi debere in sancta sanctorum, sed munda conscientia et mundis vestibus tenere Domini sacramenta."

Quemadmodum mox patebit, ecclesia singulis vestibus etiam quoddam conveniens mysterium adjungit, quod ex precibus dum induuntur recitari solitis facile intelligitur.

Caeterum indumenta sacerdotalia triplicem habent significationem: 1. tropologicam, sive moralem, quae refertur ad reformationem morum et vitae; 2. allegoricam, quae exprimit aliquod sacrum mysterium et 3. anagogicam, quae refertur ad ea, quae sunt aeternae felicitatis.

Primum quod induit graecus sacerdos vestimentum, est amictus, ab amicere, amjacere v. gr. togam, sagum. Dicitur etiam humerale ac superhumerale, anaboladium vel ambolagium ab ἀναβόλαιον, cujus originem quidam ab Ephod Hebraeorum repetunt. Antea in utraque ecclesia, tam orientali, quam occidentali res prorsus ignota ac tantum serius introducta, scilicet quando sticharion circa collum latius conficiebatur. In genere significat patientiam Salvatoris, indicatam verbis, quae sacerdos tamquam ex ore Christi inquit: „Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me".[1]) Tropologice amictus significat spem firmam, qua diabolicas tentationes superemus necesse est atque fiduciam in Deum, qua sacerdos debet accedere ad hoc sacrificium, quae spes et galea est salutis, quemadmodum Latini in oratione, quam recitant humerale induendo, exprimunt dicentes: „Impone Domine capiti meo galeam salutis, ad expu-

[1]) Isaiae 50., 6., 7.

gnandos diabolicos incursus." Allegorice denotat linteum, quo Judaei faciem velabant Christi percutientes eum et dicentes: „Prophetiza nobis, qui te percussit?"; anagogice vero latibulum capitis, hoc est divinitatis in Christo. S. Thomas[1]) ait: „Amictus humeros tegens, quo designatur fortitudo ad officia exsequenda, quibus mancipatur" et iterum „supportent infirmitates populi, quod significat superhumerale.

Secundum est sticharium: στοιχάριον olim ποδήρης appellatum, quod Latini a colore albam dicunt, imo etiam camisiam, camisum, roccum etc. Haec vestis ex lino vel cannabe, qualis etiam in lege veteri sacerdotibus praescribebatur, apud nos Graecos pari modo cunctis tribus ecclesiasticis ordinibus communis est. Sacerdos induens eam orat: „Exultabit anima mea in Domino, induit me vestimento salutis et tunica laetitiae circumdedit me: et tamquam sponso mihi mitram imposuit et velut sponsam me ornamento circumvestivit."[2]) Tropologice significat colore suo munditiam mentis et corporis cum splendore virtutum, observante S. Germano[3]) Patriarcha Constantinopolitano saec. VIII.: „Tunica candida Deitatis, fulgorem manifestat et sacerdotis mundam conversationem," quibus suffragatur Simeon[4]) quoque Thessalonicensis Archiepiscopus et scriptor saec. XV. dicens de ea: „Purum et incontaminatum sacerdotalis ordinis refert statum." Longitudine sua boni operis perseverantiam designat. Sensu allegorico significat resurrectionis gloriam necnon novitatem ac puritatem in

---

[1]) Suppl. 40. a. 7.; 2., 1. q. 102. a. 5. ad. 5.

[2]) Isaiae 61., 10.

[3]) Goar o. c. p. 97.

[4]) Ibidem.

Christo, congruente tum oratione nostra modo allata, tum Latinorum: „Dealba me Domine et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.“ Admonetur igitur minister de animi munditie in sanguine Christi comparanda, ut sit instar angelorum in albis[1]) ac instar sanctorum, qui dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni.[2]) Anagogice autem vestem candidam, qua Christum indutum Herodes irrisit, denotat.

Tertia vestis est cingulum, sive zona, cinctorium, balteus; graece ζώνη, ζώνιον, στρόφιον, quod sericum aut laneum et coloris paramentorum esse potest, sed congruentius est linteum et album. Hoc sticharion corpori adstringitur, ne illud defluat gressumque impediat, et quo se praecingit, qui sacerdotio potitur, ut Christus in ultima coena. A Levitis[3]) a. testamenti etiam adhibebatur. Dr. Edw. v. Muralt seu respective Murawieff[4]) de hac advertit: „Dann kommt der Gürtel, das Zeichen der Kraft und der Befähigung zum Dienste.“

Sacerdos accipiens zonam, benedictam osculatur et ait: „Benedictus Deus qui praecinxit me

---

[1]) Apoc. 20., 12.

[2]) Ibidem 7., 4.

[3]) Lev. 16., 4.

[4]) Briefe über den Gottesdienst der morgenländischen Kirche. Aus dem Russischen übersetzt und aus dem Griechischen erläutert. Leipzig, 1838. p. 11. Notatu dignum, uti et ipse vertens hujus operis in introductione observat, auctorem citati operis hominem laicum fuisse. Refert enim: „Diese Briefe sind nämlicht nicht bloss für Laien, um sie zur Theilnahme an ihrem Gottesdienste anzuregen, sondern auch von einem Laie geschrieben.“ Et iterum: „Der Verfasser hat sich zwar im Original nicht nächer bezeichnet, wir sind aber von Ihm berechtigt Ihn für ausländische Leser zur Vermeidung von Missverständnissen zu nennen. Es ist der auch durch andere religiöse Schriften rühmlichst bekannte Kammerherr Andreas Nikolajewitsch Murawieff, Ober-Procuratur Gehilfe bei der h. verwaltenden Synode.“

virtute et posuit immaculatam viam meam, Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, et super excelsa statuens me."[1]) Tropologice significat continentiam ac castitatem juxta orationem nostram Latinorumque dicentium: „Praecinge me Domine cingulo puritatis et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae castitatisque"; allegorice funes, quibus Christi manus ligatae sunt, necnon flagella, quibus crudeliter est vulneratus; anagogice autem charitatem Christi, cujus extremitates duae sunt: „fecit et docuit",

Quarta vestis est ἐπιτραχήλιον a voce τραχήλος= collum, latine stola, quo nomine ethnici vestem muliebrem ad tale usque demissam appellabant, ut patet ex Cicerone,[2]) ubi Marci Antonii effeminatos mores sic arguit: „Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebram stolam reddidisti," dum in s. scriptura hoc nomine honoraria regum, sacerdotum privatorumque vestis passim exprimitur. Conspirant veteres cuncti, hoc indumentum ejusmodi fuisse, quod corpus totum praeter caput et collum obtegeret. Quando autem in eam, — quam nunc habet formam, — mutatum sit, non sat liquet. Ἐπιτραχήλιον dumtaxat episcopis ac presbyteris proprium est, quia principalior inter vestes sacerdotales habetur, designatque in genere gratiam Christi, quam accipiens sacerdos et benedicens osculatur atque collo suo imponens pronunciat: „Benedictus Deus, qui effundit gratiam super sacerdotes suos et unguentum super caput, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus, ut ros Hermon, qui descendit in montes

1) Ps. 17., 33., 34.

2) Philippica 2.

Sion; quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem, vitam usque in saeculum."[1]) Per formam suam in memoriam ducit nobis illum funem, quo Christus in Gethsemanico horto ligatus fuerat atque collo ad Annam et Caipham, exinde vero ad Pilatum et Herodem, iterum ad Pilatum et tandem ad Golgotham abductus est. Tropologice significat obedientiae christianae jugum suave per poenitentiam, „das Zeichen des Joches Christi;"[2]) allegorice ligaturam ad columnam; anagogice stolam gloriae, quam Christus per obedientiam suam nobis reddidit, quare Latini eam induendo recitant: „Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum," scilicet, quia per obedientiam ad beatam immortalitatem restituimur, ex qua per inobedientiam primi parentis decidimus. Ἐπιτραχήλιον simul signum jurisdictionis est atque oneris, quo premuntur humeri pastoris.

Quintae sunt ἐπιμανίκια=supermanicalia, duo manipuli, qui tegunt manus a carpo versus cubitum atque manicas sticharii brachiis adstringunt. Ἐπιμανίκια itaque differunt a manipulo Latinorum, quod tempore Gregorii M. mappula erat ad tergendum sudorem. Sacerdos accipiens supermanicalia benedicit osculaturque illa et in dextera quidem manu sic ait: „Dextera tua Domine glorificata est in virtute; dextera tua Domine confregit inimicos et multitudine gloriae tuae adversarios contrivisti;"[3]) in sinistra autem: „Manus tuae fecerunt me

---

[1]) Ps. 132., 2.

[2]) Murawieff o. c. p. 14.

[3]) Ex. 15., 6.

et plasmaverunt me, da mihi intellectum et discam mandata tua."[1]) Tropologice denotant: necessitatem refrenandi passiones omnimodas; allegorice vinculum, quo Christus columnae alligatus fuerat; anagogice vero charitatem Christi, qua amicos suos in coelis sibi adstringit.

Sextum vestimentum est φαινόλης, vel φελόνης, in forma diminutiva φαινόλιον vel φενόλιον, ab φαίνω=tego et ὅλος=totus. Apud Latinos casula dicitur teste Rabano Mauro „a casa, eo quod totum hominem tegat, quasi minor casa." Est rotundae figurae totumque ambit hominem a collo usque ad talos, unica in medio apertura relicta, qua caput immitteretur. Similem olim apud Romanos tum viri, tum feminae portabant, quam paenulam dicebant. Ob amplitudinem suam etiam planeta nuncupatur a voce πλανήτης, constituta ex verbo πλανάομαι= oberro, vagor. Felon in genere symbolisat dona Spiritus S. quod accipiens sacerdos, benedicens osculatur ac ait: „Sacerdotes tui Domine induuntur justitiam et sancti tui exultatione exultabunt: jugiter, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen."[2]) Tropologice, cum ex omni parte rotunda apertaque sit, denotat charitatem. Sicut enim felonion ceteris vestibus sic charitas reliquis virtutibus supreminet cunctis, atque vinculum est perfectionis. Allegorice vestimentum purpureum, quo indutus est Christus a militibus in domo Pilati denotat, vel crucem humeris Domini nostri impositam, vel ut alii arbitrantur tunicam inconsutilem, quam detraxerunt milites Christo cruci affigendo. Anagogice autem significat promissam gratiam et gloriam aeternam iis, qui portant suave jugum Christi,

---

1) Ps. 118., 73.

2) Ps. 131., 9.

ut indicat oratio Latinorum: „Domine, qui dixisti, jugum meum suave est et onus meum leve, fac ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam.“ Secundum alios ecclesiam universalem indicat.

Tandem oportet has vestes integras esse, necnon mundas ac benedictas ab episcopo, vel ab alio sacerdote habente privilegium, quod idem dicendum etiam de calice, patena, corporali atque purificatorio. Hinc graviter peccat, qui contemnendo ecclesiae circa has institutiones, celebrat.

Sacerdos ornatus in corpore sacris vestibus ad repraesentationem Christi Sacerdotis et Victimae in Calvario atque sanctitatis animae, ceu ut quibusnam virtutibus et qua vitae sanctitate ipse fidelesque participantes praefulgere debeant, ut „sancta sancte tractentur,“ procedit ad mensam propositionis ibique manus lavando ait: „Lavabo inter innocentes manus meas et circumdabo altare tuum Domine, ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua: Domine dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae. Ne perdas cum impiis Deus animam meam, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus: ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me et miserere mei: pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine.“[1])

Consuetudo lotionis originem ducit a lege per Moysen Levitis data, vi cujus sacerdotes antequam ad sacra accederent, lavare tenebantur totum suum corpus in labro, vase aeneo, ad hunc finem inter altare ac ta-

---

[1]) Ps. 25., 6—12.

bernaculum posito,[1]) fundamentumque in ipsa hominis natura habet, qui persuasus de sua indignitate ad tam grande opus, omnibus viribus studet exinde purum se reddere tum quoad animam, tum corporaliter quoque et ad exprimendos hujusmodi sensus aqua utitur, quippe quae generale munditiei symbolum est. Amalarius[2]) quoad originem ejus rationemque usus observat: „Lavat sacerdos manus suas more priorum sacerdotum, ut extersae sint a tactu communium rerum atque terreno pane,“ cum nempe a principio sacerdotes debuerint ex oblatis a populo fideli panibus ad sacrificium necessariam materiam seligere. Symbolice lotio manus munditiam cordis significat per lacrymas compunctionesque, quoniam pura anima immaculataque conscientia obstringuntur sacerdotes sacrificium peragere.

Quondam lotio manuum fiebat ante transportationem benedictarum specierum de mensa propositionis ad altare, in memoriam cujus quod nunc puoque accidit sub liturgia episcopali, ut hoc inferius audiemus. Ceterum lotio manuum adeo communis consuetudo erat veterum christianorum, ut hi eadem ante incipiendas preces et quamcumque operationem boni operis v. gr. laboris semper uterentur, quapropter et in ecclesiis ubique juxta portam labrum fuerat locatum, graece, λουτήρ, repletum aqua, qua omnes ecclesiam intrantes manus suas lavare tenebantur in signum, quod pura conscientia debeant cultui divino adesse. Unde inquit S. Joannes Chrysostomus: „Duo labra esse juxta portas ecclesiae; unum repletum aqua, in quo lavas manus tuas; et alterum manus pauperum, in quibus purificas animam tuam.“[3])

---

1) Exod. 30., 18.; 40., 30—32.

2) De eccl. off. lib. III., cap. 19.

3) Dmitrewskij o. c. p. 115. sq.

Manuum ablutio mystice repraesentat Pilatum manus lavantem, Judaeis interim clamantibus: „Sanguis ejus super nos."

In verbis psalmi citati sententiosis splendidisque audivimus, quid ad christianum perfectum pertineat? Eo magis oportet, ut perfectiones ibi exhibitae in sacerdote inveniantur. Sensus psalmi per se patet. Non in mundo vivit sacerdos? Non turbatur coelum animae ejus serenum quandoque ab improvisis eventibus fragilitateque humana? Desuper quisque bonus sacerdos quotidie contemplat studetque amorem, quo mundo adstringitur mortificare animamque in fonte lacrymarum poenitentiae lavare, ut tali modo totaliter solius Dei possit esse, cujus sors est et qui pari modo ipsius sors est, siquidem Deum partem haereditatis suae sibi elegit.[1]) Denique quemadmodum De Ponte[2]) inquit: „Quodsi patena et calix non solum esse debent pretiosa, ex auro scilicet vel argento, sed etiam mundissima a quocunque pulvere et macula, eo quod sanctissimum corpus et sanquinem Salvatoris contineat, quanto erit magis rationi consentaneum, sacerdotes habere manus a pravis operibus mundas, linguam a verbis ineptis et pectus suum a malis desideriis et cogitationibus et sese purificare ab omni immunditia, etiam valde parva". Dicitur ulterius: „Dilexi decorem domus tuae et locum habitationis tuae" et non simpliciter domum tuam ac locum habitationis tuae, quia amanti non sufficit, ut solummodo existat domus, sed optet necesse est, ut haec convenienter gloriae Dei eucharistico modo in illa habitantis, decorata fiat atque exornata. Locus igitur, ubi Salvator gratiarum suarum thronum posuit, est in perverso mundo ab eo maxime optatus; istuc fugit ex

---

[1]) Ps. 15., 5.

[2]) De christiani hominis perfectione, tr. 2. c. 6. §. 1.

clamorosa vita solatium pacemque animae suae quaesiturus; hic a latere altaris bullit ei scaturigo gaudiorum, hauritque pretiosissimas gratias, cum sua non sit interest conventiculis se immiscere mundanis, sed in via virtutum versus finem migrare, ut tuta conscientia queat confiteri: „Pes meus stetit in directo“, et non in fundamento periculorum ac passionum.

Modo stat sacerdos ante propositionis mensam et ter venerationem exhibendo dicit: „Deus propitius esto mihi peccatori et miserere mei“ ac ulterius troparion seu hymnum in sanctam Parasceven praescriptum, in quo quasi cum ipso Salvatore facie ad faciem loquendo, cum gratitudine confitetur ejus passiones pro salute hominum et ex his iisdem provenientes fructus dicens: „Redemisti nos a maledicto legis pretioso tuo sanguine, cruci affixus et lancea perforatus, immortalitatem tamquam ex fonte praebuisti hominibus, Salvator noster, gloria tibi.“

Notare juvat, mensam propositionis in sanctuario pene altare aliquantulum ad dexteram existere, esseque illam mensam: „In qua sacra dona προτίθενται, primo immolanda proponuntur; et priusquam in altari consecranda deponantur, primam hic sanctificationem precibus sacerdotis et sacro ritu circa ea peracto, assumunt.“[1]) In oblationis limine igitur memoriam Christi ob oculos sibi ponit sacerdos, „tota enim missa tam provida reperitur disposita ordinatione, ut quae per Christum, in quo e coelis descendit, usque dum in coelum ascendit, gesta sunt, magna ex parte contineat et ea tam verbis, quam signis admirabili specie repraesentet,“ ad quae verba Durandi observat Goar dicens: „Talemque

1) Goar o. c. p. 98.

propterea in ea componenda ordinem observandum, praeter alios SS. PP. Basilius et Chrysostomus sibi proposuerunt, ut admiranda serie Christi ortum, vitam et quae post mortem ei obtigerunt, verbis sacrisque actionibus cuncta facerent manifesta et mystica repraesentatione quasi conspicua redderent oculis."[1])

Hujus rei causa accipit sacerdos in manum sinistram hostiam, scilicet panem triticeum fermentatum, qualis olim, dum materia sacrificii ex publicis oblationibus a fidelibus asportatis seligebatur, a Latinis quoque adhiberi debuit, ἄρτον ἅγιον nempe, nostro tempore jam specialiter huic fini praeparatum, cui desuper cum sigillo impressa est effigies crucis cum inscriptione: **„IC. XC. NIKA"**, in dexteram vero accipit lanceam, figuram habentem illius olim latus Christi aperientis, vicemque hujus gerentem et facit ea ter signum crucis super panem dicens: „Im memoriam Domini et Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi" ac statim infigit sanctam lanceam in dexteram partem sigilli panis scidensque ait: „Tamquam ovis ad occisionem ductus est," porro in sinistram partem similiter infigens s. lanceam inquit: „Et ut agnus mansuetus, coram tondente se obmutescens, sic non aperit os suum." Dein iterum in superiore sigilli parte infigens s. lanceam dicit: „In humilitate ejus judicium sublatum est," in inferiore vero sigilli parte dum infigit s. lanceam, inquit: „Generationem autem ejus quis enarrabit." Tandem immittens s. lanceam ex obliquo dexterae partis panis, extollit benedictum frustum dicens: „Quoniam tollitur de terra vita ejus."[2]) Ponensque su-

---

1) Goar o. c. p. 102.

2) Isaiae 53., 7. 8.

pinum in sancto disco sacrificat illud in modum crucis dicens: „Immolatur agnus Dei, qui tollit peccatum mundi pro mundi vita et salute." Convertensque rursum sacrificatam partem, ita ut crux cum memorata inscriptione sursum sit, pungit illam cum s. lancea in dextera parte dicens: „Et unus militum lancea latus ejus aperuit et statim exivit sanguis et aqua"[1]) et pronuncians „sanguis" vinum infundit calicem, in verba vero „aqua" affundit vino paululum aquae benedictae. Secundum S. Cyprianum,[2]) vinum ideo non benedicitur, quia in vino Christi sanguis ostenditur, per aquam vero populus intelligitur. Hinc decet aquam benedici, vinum non decet.

Intendit ecclesia per hanc mixtionum significare: conjunctionem Verbi divini cum humanitate et Christi cum fidelibus per gratiam, quare aqua fidelem populum repraesentans benedicitur: porro vult per id designare fluxum sanguinis et aquae de latere Christi et tandem quia ita peregit Dominus secundum morem orientalium in ultima coena.

Quemadmodum videtur, tota haec actio dramatica est. Sacerdos quod narrat, hoc idem símul et operatur facitque, vivide pingens brevibus ex antiquo testamento sumptis citatis ac ad singulos actus relatis applicatisque — humilem decursum et finem Dominicae vitae amarissimum.

Memoratur in limine proscomidiae ac per hoc ipsius liturgiae quoque passio Christi ex mente nimirum praecepti ipsius jubentis: „Hoc facite in meam commemorationem."[1]) quod S. Paulus[2]) sequenti illustrat modo:

---

[1]) Ioan. 19., 34.

[2]) Epistola ad Caecilium,

„Quotiescunque enim manducabitis hunc panem et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat," quae veniet repraesentabiturque in liturgia fidelium, ergo antea annuncietur necesse est.

De facto proscomidia cum memoratione incipit nativitatis J. Christi. Quid enim significat in ecclesiam allata prosphora (panis), nisi B. V. Mariam, a parentibus in templum introductam Hierosolymarum, quam sacerdos instar prophetae Zachariae in sancta sanctorum fert, ut parata sit ad salutare mysterium, symbolisando per id tempus, quo B. Virgo in templo habitabat.

Collocatio prosphorae in prothesin designat vitam, quam B. Maria cum Josepho in Bethlehem habuit, ubi venit se inscribendi causa ac ob notas causas non inveniens locum in diversoriis, in spelunca Christum Dominum peperit, unde et inscribitur prosphorae nomen J. Christi.[1]) Ergo in proscomidia non designatur mors Christi, licet ibidem hujus mentio fiat, sed tantum praeparatur ad mortem, qui denique jam in prophetiis atque in nativitate ut passurus apparet, propter id enim est incarnatus, ut hoc salutare opus in se susciperet atque perficeret.

Panis insignitus est nomine J. Christi, utpote agni immolandi. Exprimitur autem ad nostram instructionem per voces „ovis ducta" et „agnus mansuetus" lenitas Salvatoris adversus inimicos suos patientiaque in passionibus, commendaturque per id haec utpote „quae gloriosos martyres facit, quae fidei nostrae bona custodit, quae omnia vincit adversa; non colluctando, sed sustinendo, non murmurando, sed gratias agendo."[2])

Per vocem „judicii" condemnatio Christi in mortem crucis notificatur.

[1]) Novaja skrizsály, p. 2. c. 2. §. 31.

[2]) Cassiodori super ps. 32.. 20.

Quoad quaestionem expressionis „quis narrabit generationem ejus,“ communiter illa maxime theologis arridet interpretatio, juxta quam: hominem vulneratum, graece ἄνθρωπος ἐν πληγῇ ὤν, et despectum virorum quis confitebitur; id est explicite: in tali statu ipsius divinam dignitatem ac processionem et in plenitudine temporum incarnationem, dein divina ejus opera viresque, resurrectionem ac vitam hodiernam in gloria Patris quis confitebitur? Quae ratio potest hoc capere et interpretari?[1])

Verbis: „tollitur de terra vita ejus“ clare mors Dominica in cruce indigitatur.

Δίσκος, apud Latinos patena a patendo dicta, seu vas latis et patentibus labris, in quo pars illa scissa de pane sancto reponitur et quidem in medium ejus, quoniam pars haec „Agnus Dei“ tollens peccata mundi appellatur, qui est Christus, centrum omnium rerum. Si liturgia S. Jacobi certe genuina foret, usus quoque disci ab apostolis repetendus esset, — sic autem nescitur qua aetate calici ad continendam hostiam additus est. Discus simul cum calice corporis et sanguinis Domini novum sepulchrum significat. Praeterea discus, qui est „corporis Christi pretiosum ferculum,“[2]) significat patibulum crucis, in quo Christus elegit immolari.

Juxta S. Germanum prosphora seu panis significat: virginalem uterum Deiparae; sectio cum lancea in ea: conceptionem Agni; exceptio sigilli ex interiore panis: nativitatem J. Christi; sacerdos vero Spiritum S. adumbrantem B. Virginem.

Modo sacerdos accipit secundam oblationem (δευτέραν σφραγίδα), praeter panem enim, ex quo Agnus paratur (ἄρτος ἅγιος dictus), prius plures panes ad sacrificium adhibe-

---

1) Dmitrewsky o. c. p. 117.

2) Sacramentar. Gregor.

bantur, hodie plerumque ex uno pane omnes particulae scinduntur, imo in Galicia expositio particularum totaliter omittitur, nisi urgeat necessitas s. synaxin fidelibus distribuendi. Scissa igitur secunda particula, ponit eam sacerdos in disco a dexteris Agni immolati in memoriam gloriosae Virginis, superantis gloria sua cunctas creaturas angelicas humanasque, cum illa et in sacrificio crucis a latere Salvatoris staret et quoniam secundum verba τροπάριον VI. horae: „multum potest efficere oratio materna ad misericordiam Domini excitandam," dicens: „In honorem et memoriam super omnes benedictae et gloriosae reginae nostrae et semper Virginis Mariae, cujus precibus suscipe Domine sacrificium istud in supercoeleste tuum altare."

Post filium confestim mentio fit matris, cum ecclesia teneat, B. V. Mariam thesaurariam ac erogatricem esse divinarum gratiarum intercessionemque ejus moraliter necessariam esse ad gratiarum dona et beneficia per merita Christi a Deo impetranda, quatenus nimirum observante S. Bernardo[1]) Christus ad sanctissimam suam matrem glorificandam, nostramque simul fiduciam roborandam totum nos habere voluit per Mariam loquente S. Patre: „Sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec inquam voluntas ejus, sed pro nobis. In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem," secundum illud: „In me omnis spes vitae et virtutis, — in me omnis gratia vitae et veritatis".[2]) Hujus ideae mentem exposuit et S. Germanus[3]) per verba: „Nullus est,

[1]) Sermo de aquae ductu n. 7.

[2]) Eccl. 24., 25. — [3]) Sermo de zona Virginis.

qui salvus fiat, nisi per te Virgo sanctissima; nemo est, cui donum concedatur, nisi per te o castissima; nemo est, cui misereatur gratia, nisi per te honestissima."

Notare juvat, intentionem consecrandi, seu „faciendi quod facit ecclesia" saltem virtualem in celebrante requiri, ast consulenda est actualis intentio. — Intentio applicandi fructus ministeriales, sufficit et habitualis, quia fit per modum donationis. Porro intentio in se seu objective determinata debet esse, quamvis celebrans explicite istam non cognoscat; e. gr. ad intentionem, quae prior in libello meo inscripta est.

De oblationibus notat Arcudius: „Graeci in Prothesi plures panes a populo quandoque oblatos apponunt, quandoque unum tantum, a quo particulas omnes sumunt: cum plures offerunt, e primo majorem hostiam: e secundo particulam in honorem Matris Dei: ex alio particulam in honorem B. Joannis Bapt. et e singulis aliis singulas particulas. Cunctosque hos panes, ait memoratus auctor προσφοράς appellant, quas tamen auctor rubricarum Euchologii ultimo editi σφραγίδας voluit esse vocatas," quibus porro adjungit Goar:[1]) „Immutarunt Neoterici particularum situm: quam enim B. Virginis nomine praescidebant, eam juxta ritum antiquum in sinistra parte ut in sacris digniore collocabant, altera in dextram reponunt, ut coelestis regis aulam repraesentaturi vere sibi videantur dicere: „παρέστη ἡ βασίλισσα ἐκ δεξιῶν σοῦ = astitit regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata et ornata."[2])

Modo cuspide lanceae educit particulas ex aliis, sive nostro more ex eadem oblatione, et quidem a sinistra Agni immolati ordine novenario dicens: 1. „Vir-

---

1) O. c. p. 103.

2) Ps. 44., 10.

tute honorandae et vivificantis crucis; 2. honorandarum coelestium virium incorporalium; 3. honorandi gloriosi Prophetae praecursoris et Baptistae Joannis aliorumque prophetarum; 4. sanctorum gloriosorum et percelebrium Apostolorum Petri et Pauli ceterorumque apostolorum; 5. sanctorum patrum nostrorum Pontificum: Basilii Magni, Gregorii Theologi, Joannis Chrysostomi, Nicolai Myrensis thaumaturgi et omnium sanctorum Pontificum; 6. Sancti Apostoli primi Martyris et Archidiaconi Stephani, sanctorum Martyrum: Georgii, Demetrii, Theodori et omnium sanctorum Martyrum; 7. sanctorum Deiferorum patrum nostrorum Antonii, Euthymii, Sabae sanctificati, Onufrii et omnium Deiferorum patrum et matrum; 8. sanctorum medicorum absque mercedis praemio: Cosmae et Damiani, Cyri et Joannis, Panteleonis et Hermolai et reliquorum medicorum absque mercedis praemio; 9. sanctorum justorum Dei parentum Joachim et Annae et sancti (N.) illius videlicet, cujus memoriam celebramus et omnium sanctorum, quorum precibus protege nos Deus."

Ponit autem has novem particulas in tribus ordinibus, quae sibi subsunt, quique novenarius particularum numerus Christi regis et Deiparae reginae satellitium et aulam componere creditur juxta illud: „Volo, ut ubi sum ego et illi sint mecum."[1])

[1]) Ioan. 17., 24.

Ulterius instruit aciem particularum infra Agnum: pro Summo Pontifice, rege, episcopo et clero, pro benefactoribus ecclesiae. Si intentionem habeat pro vivis offerendi, tunc quintam particulam hos memorando deponit secundum formulas inter titulos intentionem in quolibet liturgico exhibitas, dein pro consanguineis, amicis ac inimicis, quibus involuntarie nocuit, sive ruinam spiritualem attulit, ut sic quantum ipsis nocuit verbo aut facto, tantum iisdem prosit oratione sacrificandoque, porro pro confirmatione orthodoxorum conversioneque haereticorum et pro quibus vult vivis. Subtus hanc seriem alteram particularum seriem devovet ut sequitur: pro defunctis pontificibus, † regibus, † episcopis dioecesanis et clero, † fundatoribus ac benefactoribus ecclesiae, in qua celebrat. Si pro defunctis habeat intentionem offerendi, quintam particulam pro his deponit dicens: „pro quibus applicare intendo hanc liturgiam.“ Dein pro † consanguineis, pro illis defunctis, quibus forsitan nocuit et in fine pro omnibus defunctis fidelibus in purgatorio detentis. Ultimam particulam pro se ponit collocatque illam inter duas particularum acies demonstraturus per hoc sacerdotem mediatorem esse pro omnibus coram tribunali Dei.

Appositio particularum vivorum et defunctorum significat Christum iterum venturum judicaturumque vivos et mortuos, effigies autem in disco ex cunctis particulis composita repraesentat communionem sanctorum, i. e. connexionem ecclesiae militantis, triumphantis et patientis, vi cujus hae unius ejusdem ecclesiae partes eadem fide, spe et charitate sub eodem capite Christo Jesu junctae unum corpus constituunt atque ita non tantum bona nobis a Christo Domino parata communia habent, sed et sibi mutuo precibus ac bonis operibus, sive impetratoriis, sive satisfactoriis succurrunt, seque invicem adju-

vant. Ibidem apparent mediatores quoque, quem Graeci μεσιτήν appellant, quasi medium, seu conciliatorem ac sequestrem, qui dissidentes ad concordiam adducit, scilicet Christus et sacerdos celebrans, sed utique sub diverso respectu. Potest siquidem duplici ratione fieri, ut se aliquis inter partes disjunctas medium interponat. Primo per substantialem aliquam mediationem, hoc est si utriusque extremi naturam substantialiter in se conjungit. Jam Christus Dominus divinam et humanam naturam per hypostaticam unionem conjunxit; ergo sic est mediator. Secundo per operationem, conciliatoris munia obeundo, quod potest fieri a) per modum internuntii, si velut nuntius (legatus) affert utrique pactum vel conditiones roconciliationis necessarias; b) per modum intercessoris, ut tamquam advocatus uni parti supplicet gratiam alterius; c) per modum satisfactoris, scilicet ut velut sponsor parti laesae pro altera satisfaciat. Jam per modum a) et b) angeli, prophetae, apostoli sacerdotesque etiam mediatores sunt; per modum c) i. e. satisfactoris solus Christus est mediator, quippe qui pro genere humano obtulit Deo satisfactionem aequivalentem infinitam, quam nemo praeter Christum praestare potest, unde dicitur: „Unus mediator Dei et hominum homo J. Christus, qui dedit semet ipsum redemptionem pro multis.“[1])

Nunc adoletur thus, ad quod Simeon Thessal. observat quaerens: διὰ τὶ θυμίαμα μετὰ τὴν προσκομιδὴν= cur confestim post oblationom adoletur incensum? Respondetque: In divini operis gratiarum actionem ad Spiritus S. operationem et adventum advocatum, quod et testatur oratio dicens: „Incensum tibi offerimus Christe Deus noster in odorem suavitatis spiritualis, quod suscipe Domine in san-

[1]) I. Tim. 2., 4.

ctum et supercoeleste et intellectuale tuum altare et repende nobis abundantes tuas miserationes et illas largire nobis servis tuis nomen tuum invocantibus, Patris et Filii et Spiritus S. omni tempore, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen."

Ipse Deus thus in sui cultum adhiberi jussit: „Facies altare ad adolendum thymiama . . . et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane." (Exodi 30.)

Usum thuris in ecclesia semper viguisse omnibus notum est. Nimirum primi christiani tum ex paginis antiqui testamenti, quam ex illa munerum ratione, quae Magi orientales Christo obtulerant, intellexerunt: thus esse symbolum profitendae Divinitatis secundum illud: „Per ista tria munerum genera in uno eodemque Christo et divina majestas et regia potestas et humana mortalitas intimatur. Thus enim ad sacrificium, aurum pertinet ad tributum, myrrha ad sepulturam pertinet mortuorum."[1]) Rationem, cur adhibeatur, sequenti exponit Cornelius a Lapide:[2]) „Voluit Deus hos odores sibi adoleri, non quod odoratu thymiamatis delectetur, cum multum habeat odoratum . . . sed quia magnus inter homines censetur honor, suaves cuipiam apponere vel suffumigare odores: hinc Deus, qui cum hominibus humano more agit, voluit eosdem ad sui cultum coram se adoleri. Sic omnium gentium consuetudine et ritu thuris et odorum incensio attributa est Deo; hinc poetae „thuris honores" vocant honores divinos, et tres Magi haec tria munera dederunt Christo, scilicet aurum regi, thura Deo, myrrhamque

---

1) S. Fulgentii Sermo 4.

2) Comm. in Exod. 30. 1.

sepulto." Tandem significat „bonum odorem gratiae," seu Dei misericordiam in nos descendentem. „Ascendit precatio et descendit Dei miseratio." (S. August.)

Ex genio ecclesiae thuribulum repraesentat cor humanum, ignis charitatem, thus vero puram orationem, quae ex corde amoris igne accenso velut „bonus odor" ascendat necesse est; quamobrem sicut thus cum igne redolet et sursum ascendit, ita oratio cum charitate in corde ultra omnia suavior est Deo beneplacitiorque et ultra omnia thymiamata fragrat, — seu ut maneamus apud symbolicas expressiones, — instar pretiosi condimenti optimum ex se efflat odorem.

Cum sic benedicto thure prius suffumigatur stella, de cujus in usum introductione notat Goar: „Ne vela hostiam tangant et supra memoratum ordinem particularum turbent, adinvenit Chrysostomus duos breves arcus, qui hostiis superpositi, eas ab omni contactus periculo protegerent. Arcus illi extremitatibus ut radiis suffulti, Stellae, in Christi natalitiis emicantis nomen obtinuerunt, unde et in eis componendis sacerdos ait: „Et veniens stella stetit super locum, ubi positus erat puer."[1]) Est siquidem mos apud Graecos, prout supra vidimus in effusione vini et aquae adhibitioneque lanceae, rebus sacris et actionibus verba sacrae scripturae correspondentia accomodare ac adaptare. Stella ergo posita super patenam, quae praesepium repraesentat, figura est illius, quondam Magos ducentis, insinuatque humiliationem Christi collustrando locum, ubi positus est, qui se exinanivit.

Tum suffumigat velum primum, quo tegens sanctum panem ait: „Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitu-

[1]) Matth. 2., 9.

dinem et praecinxit se. Etenim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur. Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum: perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen."[1]) Operiendo calicem velo ostendere volumus, summo cum honore nobis illum afficere oportere, „quodque velum inde dicitur, quia velando calicem ejusdem etiam velata esse mysteria signat."[2]) Tenor verborum psalmi est, quod Deus creando universum, per id quasi decorem indutus est, rexque factus creaturarum. Christus recreans genus humanum, factus est hujus fundamentum immobile. Phoenomena naturae licet tam magnanimia sint, nihilo tamen minus virtuti Dei utpote regis obedire tenentur. Testimonia, quae probant Deum supra naturam regnare, nimiam praebent credibilitatem seu fidem praeceptis ejus, quam ob rem quilibet serviens ei sanctus sit oportet.

Postquam velum primum calici impositum est, sacerdos velum secundum thuribulo admovet, illoque calicem velando inquit: „Operuit coelos virtus tua Christe et laudis tuae plena est terra: perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.[3]) juxta illud: „Tuae divitiae et tua est gloria; tu dominaris omnium, in manu tua virtus et potentia, in manu tua magnitudo et imperium."[4]) Per vela praeservabantur exposita contra contaminationem muscarum, quae in Oriente permagno numero inveniuntur, ad quas ceterum pellendas diaconi instrumentum quoque, sic dictum ῥιπίδιον gestabant, quae

[1]) Ps. 92., 1., 2., 5.

[2]) Gavanti Merati, Thesaur. sacr. rit. p. 2. t. 1.

[3]) Habac. 3., 3.

[4]) Paralip. 29., 12.

instrumenta serius instar formae alarum componebantur ad repraesentationem alarum cherubicarum, nempe ut his considerandis animi assistentium a terrenis ad superiora subleventur. Demonstrant porro vela haec Christum usque ad incoeptam vitam publicam, virtutem ac omnipotentiam divinitatis sub vestibus corporis sui absconditas habuisse.

Suffumigat denique et tertium velum „Aerem“ dictum ac velans illo utraque praeposita, patenam scilicet et calicem, ait: „Protege nos sub umbra alarum tuarum, repelle a nobis qualemcunque hostem et inimicum, pacifica vitam nosram et mundum tuum et salva animas nostras, quoniam bonus et benignus (φιλάνθρωπος θεός) Deus es,“ cui simillime consonant: „Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula, protegar in velamento alarum tuarum,“[1]) quemadmodum David profugus persecutusque ab inimicis suis conquerebatur.

Pulcherrimam contulit de his tribus velis commentationem S. Germanus dicens: „Superius disci velamen indicat sindonem, qua involverunt corpus Domini; disci velamentum (scilicet secundum) vices agit sudarii faciem tegentis in sepulchro. Velum aliud sive „Aer“ est, et tenere dicitur locum lapidis, quo munivit Joseph monumentum, quod obsignavit custodiae tabella. Et statim thuribulum subindicat humanitatem Christi, ignis divinitatem, incensum autem repraesentat aromata illa, quae Domino sepeliendo offerebant.“

Postremo actis in crucem manibus ter benedicit Deo verbis: „Benedictus Deus noster, cui sic complacuit, perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen,“ semper

1) Ps. 60., 5.

humiliter se inclinans post completam orationem, suffumigando toties et oblata, qua dein finita alteram subjungit, a S. Jacobo apostolo et fratre Domini, sicut traditur, confectam dicens: „Deus, Deus noster, qui coelestem panem totius mundi alimentum, Dominum nostrum et Deum Jesum Christum emisisti Salvatorem et Redemptorem et Benefactorem, nos benedicentem et sanctificantem, ipse benedic † hanc propositionem et suscipe eam in supercoeleste tuum altare, memento ut bonus et benignus eorum, qui obtulerunt et propter quos obtulerunt: et nos inculpatos conserva in celebratione divinorum tuorum mysteriorum. Quoniam sanctificatum et glorificatum est pretiosissimum et magnificum nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus S., nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen."

In exordio orationis loquitur de pane coelesti, in quo celebrando nunquam defatigantur Christi fideles, praesertim vero s. patres. Sic ex multis S. Augustinus[1]) sequentibus illum extollit laudibus: „Magnus est iste panis, qui replet mentem et non ventrem: iste panis et noster est et angelorum, iste panis manducatur et integer manet, de ipso comedimus, inde vivimus, inde pascimur, inde nutrimur, inde pervenimus." Significatio autem orationis superallatae sequens est: sacerdos invocans Deum Patrem, dantem Filium suum unigenitum, Jesum Christum qua coelestem panem toti mundo in cibum, a quo — nempe Jesu Christo — accepimus nos benedictionem omnium

[1]) Homil. de gratia Domini in illud „Panem nostrum quotidianum."

donorum et sanctificationem, impetrare vult ab Eo, ut praepositis donis benedicat eaque accipiat in supercoeleste altare, memorque sit eorum, qui oblationem faciunt, necnon pro quibus faciunt nempe spiritualiter et mediate; in fine vero ipsius quoque celebrantis sacerdotis, ut inculpate queat sacrificium peragere. Manus expansae tenentur in orando, quia suplicantis est, manus ad auxiliatorem tendere, estque signum ac adjumentum mentis elevatae. Tali modo Moyses efficaciter pro populo oravit atque ipse etiam Spiritus S. monet: „Extollite manus vestras in sancta et benedicite Dominum,“[1]) vel: „Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.“[2]) Prisci orare solebant christiani manibus expansis et in coelum elevatis, ac quandoque in formam crucis compositis ad repraesentandam Salvatoris nostri crucifixi passionem.

Frequentissima expressio et velut corona omnium precum: „perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen“ sequenti explicatur modo. Perpetuo, graece πάντοτε, compositum est ex πᾶν=omne et τότε=tunc, indigitatque quoddam praeteritum; nunc autem graece νῦν quoddam praesens, e contra semper, graece ἀεί, est adverbium temporis ita, ut etiam de tempore indefinito asseratur, v. gr. quemadmodum Moyses[3]) in hymno suo canit: „Dominus regnabit in aeternum et ultra.“ hebraice: לְ·עָלְטוָֹעֶד.

„Amen“ est verbum hebraicum descenditque a verbo אָמַן (aman), quod in forma Niphal firmum, certum, verum, fide dignum esse denotat; graece γενοίτο; unde אָמֵן (amen) verus v. gr. יִתְבָּרֵךְבַּאלֹהֵי אָמֵן (jittebarek

[1]) Ps. 133.

[2]) Ps. 140., 2.

[3]) Ex. 15., 18.

baalochej amen). Generaliter adhibetur in confirmationem expressionemque consensus cum praedictis. S. Hieronymus hanc vocem „sigillum precum“ appellat, Theodoretus vero adnotat, laicum non minus participem fieri per pronunciationem hujus vocabuli praemii precum, quam ipsum sacerdotem orantem.[1])

Tandem fit dimissio parva, in qua claris verbis indicatur a schismaticis novissime etiam repudiatum dogma de virginitate B. Mariae tum ante partum, tum in partu, tum vero post partum ut sequitur: „Christus verus Deus noster, intercessionibus sanctissimae, intemeratae, super omnes benedictae, gloriosae Dominae nostrae Deiparae et semper Virginis Mariae, virtute gloriosae et vivificae crucis et omnium sanctorum: misereatur nostri ut bonus Deus et clemens. Amen.“

His finitur προσκομιδή. Sacerdos jam discedit a prothesi cum thuribulo loquens: „In sepulchro corpore, in inferis anima; in paradiso cum latrone; ceu in throno cum Patre et Spiritu S. Christe existebas, velut Deus cuncta replens et incircumscriptus permanens,“ ulteriusque psalmum 50. „Miserere mei Deus etc.“ suffumigans interea in circuitu cruciformiter altare[2]), deinde sanctuarium et templum totum cum

1) Dmitrewskij o. c. p. 144.

[2]) Ad quaestiones: 1. utrum liceat latinis presbyteris Missam celebrare in ecclesiis graecorum super „Antimensiis“ eorum, vel solummodo super altari lapideo seu sic dicto portatili ab episcopo latino consecrato; et 2. utrum liceat presbyteris graecis Missam celebrare in ecclesiis latinorum super altari ab episcopo latino consecrato vel solummodo super „Antimensiis“ propriis, proxime sic respondit S. Congregatio de Propaganda Fide. „Pro generali norma retinendum est:

populo ac imaginibus. Reversusque ad altare, iterumque hoc incensans, tradit thuribulum servo ascenditque sursum ad altare, ut incipiat ad sacra attrectanda se disponere.

Percussio pectoris fit juxta exemplum publicani a Domino laudati. „Percutimus pectus — ait Nicolaus I.[1]) — signantes videlicet, quod nequiter egimus, displicere nobis, ac ideo, antequam Deus feriat, id nos in nobis ferire, et antequam ultio extrema veniat, commissum poenitentia digna punire.“ Proinde omnia complectens Cornelius a Lapide[2]) notat: „Tunsio pectoris a) symbolum est confessionis peccati, quod scilicet confitens fateatur peccati sui causam non esse aliam, quam cor, appetitum et voluntatem suam in pectore latentem, b) eadem est symbolum contritionis, indicat enim, cor esse contusum et

---

1-o quod attinet ad sacerdotes latinos Missam celebrantes in ecclesiis graecorum unitorum, non licere eis absque altari portatili lapideo celebrare super Antimensiis graecorum. 2-o Constitutionem f. r. Benedicti XIV. „Imposito nobis“ latum esse dumtaxat pro sacerdotibus latinis Apostolicas Missiones exercentibus in Polonia Russica, quibus concessa fuit facultas celebrandi Missam in casu necessitatis et servato proprio ritu in ecclesiis Ruthenorum unitorum super illorum Antimensiis. Si vero eosdem (decernitur) in aliqua latina ecclesia ceu iis domesticis latinorum oratoriis, quae forsan auctoritate apostolica in hujusmodi latinorum privatis domibus cum licentia celebrari faciendi, quae adhuc vigeat, erecta fuerint, ss. sacrificium offerre contigerit: illud vel super altari consecrato, vel super lapidea consecrata tabula, quae etiam altare portatile appellatur, non autem super Antimensiis hujusmodi omnino debeant. 3-o presbyteros graeco-catholicos posse celebrare S. Liturgiam super altari ab episcopo latino consecrato, dummodo ipsi utantur Antimensiis propriis. Ergo in Occidente itinerantes graeci ritus cath. sacerdotes, si volunt S. Liturgiam peragere, secum debent et Antimension ferre. Pari modo et latini ritus catholicis sacerdotibus in Oriente commorantibus, si volunt S. Missam celebrare, provisa sint necesse est altaria portatilia.

1) Ad cons. Bulgar.

2) Comm. in Luc. 18., 13.

contritum; c) eadem symbolum est satisfactionis et vindictae, percutit enim pectus, ut illud reum affligat et puniat."

In supra allata parva dimissione indicatur porro dogma in concilio Constantinopolitano II.[1]) definitum: B. V. Mariam vere et proprie Deiparam (θεότοκος) vocari et esse, cum licet divinitatem minime genuerit, illum tamen concepit et peperit, qui ex sacris litteris Deus et Filius Dei vocatur et est, secundum illud: „Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei."[2])

In oratione, quam in discedendo a πρόθεσι recitat sacerdos, chronologice referuntur, quae Christo mortuo succedebant, ut sequitur: 1. Christi corpus in sepulchro Josephi ab Arimathia incorrupte jacuisse et quidem per triduum, quo tempore anima ejus separata a corpore ad inferos descendit, locum quem patres „lymbum" dicunt, in quo animae justorum v. testamenti detinebantur, quae ante adventum Christi beatitudinem non assecuti (in statu gratiae) exspectabant visionem intuitivam, dicente concilio Toletano IV. (633.): „Descendit ad inferos, ut sanctos, qui ibi detenebantur, erueret."[3]) His siquidem annunciavit laetum redemptionis liberationisque nuntium ac secum duxit in paradisum una cum latrone, cui promiserat: „Hodie mecum eris in paradiso." Post 36 circiter horas deinde surrexit e sepulchro clauso die Dominica, mane sub auroram, i. e. corpus ejus gloriosum penetravit lapidem, sicut postea pluribus vicibus januis clausis ad discipulos intravit, unde non nisi fictione quadam depingi solet Christus resurgens ex sepulchro aperto. Siquidem dumtaxat tunc, quando mulieres ad sepulchrum

---

1) Harduini, Act. Conc. tom. 3. col. 195.

2) Luc. 1., 35.

3) Mansi, Coll. Conc. t. 10. c. 616.

accesserunt, lapis per Angelum a monumento rovolutus est.[1])

Oblatione materia sacrificii (panis et vinum) eximitur ab usu profano Deoque ordinantur. „Panis et vinum aptantur et quasi meliorantur, ut sint condigna materia, quae in corpus et sanguinem Christi convertantur. Si enim vestes et templum ac vasa ecclesiae benedicuntur et sanctificantur, quanto rationabilius est, panem et vinum ante consecrationem benedici, ut sint apta materia transsubstantiationis supermirabilis atque divinae. Nam et aliorum sacramentorum materiae propter reverentiam sacramenti ante usum suum sanctificantur, ut aqua baptismi, vel chrisma, seu oleum.“ (Dion. Carthus.) Ipse Christus in ultima coena prius panem et vinum „benedixit“ et „gratias egit“; quae „benedictio“ et „gratiarum actio“ ab ipsa consecratione distincta fuit.

10. §.

Liturgia catechumenorum.

Vox κατηχουμένος procedit a verbo κατηχέω, quod idem designat, quam proprie sono, insono, resono, tamquam echo denotans, ex κατά et ἠχέω=sono. In novo testamento speciatim de institutione in religione christiana usurpartur. V. gr.: „Οὗτος ἦν κατηχημένος τήν ὁδὸν τοῦ Κυρίου=hic erat institutus in doctrina Domini. Κατηχέομαι=fama edoceor, audio, vel percipio.“[2])

Catechumeni inquit Isidorus:[3]) „Sunt, qui primum de gentilitate veniunt habentes voluntatem credendi in Christum.“ Graece autem subdit idem „auditor interpre-

---

1) Schouppe, o. c. t. I. p. 448.

2) Schleuesner, o. c. sub hac voce.

3) Lib. 2. de eccles. ofic. cap. 20.

tatur, vel instructus, pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, nondum tamen baptismum percepit." „Verum alias angustius strictiusque accipitur vox eadem de certis illorum gradibus, qui ad gratiam baptismatis aspirabant, quos in triplici differentia fuisse, canones patresque declarant: quippe tres olim institutos legimus eorum, qui ad baptismum suscipiendum primis christianae fidei elementis imbuebantur ordines, qui communi generalique nuncupatione catechumeni quidem omnes dicebantur, sed pro majori minorive in doctrina fidei ac virtutis profectu varios in gradus et quasi classes tribuebantur, Audientium nempe, Genuflectentium et Competentium, de quibus passim SS. Patres." De catechumenis multa habent concilia, Nicoenum can. 11. 12. Aurelian. I. can. 19., 20.; Agathense can. 34., 60., 61.; Arelatense II. can. 11. etc.[1])

Pars haec liturgiae ideo hac insignitur appellatione, quoniam tempore, cum sacramenta adhuc coram infidelibus arceri tenerentur (disciplina arcani), huic parti infideles quoque, praecipue autem catechumeni inferiorum graduum adesse poterant. Ecclesia nimirum tuebatur sacramenta sua ab omnibus, qui per baptismum in fidelium numerum non fuerant suscepti, ne forsitan haec derisui ac contemptui infidelium exponerentur, ast permittebat omnibus intus remanere sub tempore, dum doctrina sermone episcopi, vel alterius traderetur, ut tali modo auditores occasionem nanciscantur religionem christianam accurate addiscere sicque quo prius ecclesiae membra fieri.

Nostro tempore haec consuetudo non amplius viget.

Ecclesia mutatis circumstantiis eam abrogavit, reservavit vero apellationem hujus partis, scilicet nomen litur-

---

[1]) Du Cange: „Glossarium ad scriptores mediae et infimae latinitatis" Parisiis. 1733. tom. 2. p. 421. sq.

giae catechumenorum, usque hodie. Ergo huic disciplinae arcani nititur divisio liturgiae in duas partes, nempe in catechumenorum atque fidelium liturgiam.

Protrahitur liturgia catechumenorum usque dum dicatur: „Quotcunque catechumeni estis, recedite.“

Incipit sacerdos ad altare stans secrete: „Benedictus Deus noster perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.“ et continuat invocatione Spiritus S. dicens: „Rex coelestis, paraclete, Spiritus veritatis, qui ubique praesens es et omnia reples, thesaurus bonorum et vitae largitor; veni et habita in nobis et purga nos ab omni macula et serva o bone animas nostras.“ Porro: „Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis,“ Quam ultimam expressionem sicuti alias quoque partes Goar in illa S. Chrysostomi liturgia, quam in operis sui citati loco principali exponit, non habet, quare in exaratione hujus operis cum editione vetero slavica Leopoliensi communiter in regione nostra usitata, ergo cum illo quoque textu, „qui ut sanus magis et a corruptionis suspicione alienus, Romae probatus et impressus, in reliquas deinde orbis regiones distribuendus evulgatur,“[1]) usi sumus. Proh dolor enim, teste eodem auctore exemplaria liturgiae Chrysostomianae tum typis edita, tum M. SS. adeo inter se discrepent, ut „pene diversa, vel valde immutata appareant.“[2]) Invenitur autem expressio supra memorata in exemplari Chrysostomianae liturgiae e bibliotheca Christianissimi regis sumpto et a supra

1) Goar o. c. p. 70.

2) Goar o. c. p. 70.

laudati auctoris o. c. p. 79. publicato, simulque in liturgico Leopoliensi.

Ulterius sacerdos inquit: „Domine labia mea aperies et os meum annunciabit laudem tuam“ osculaturque crucifixum, evangelium et altare. Omnia haec in silentio peraguntur ac prologi cujusdam praelocutionisque se habent, captantium ipsius Dei in nos benevolentiam, quibus corda adstantium sursum provocantur ad coelestium rerum contemplationem, ad gratiarum actiones laudesque Deo ob varia mysteria referendas.

Sensus horum hic est: sacerdos implorat adventum Spiritus S. super se ad digne celebrandam liturgiam velut memor promissionis divinae: „In diebus illis effundam de Spiritu meo et prophetabunt,“[1]) porro: „Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, nam quid oremus, sicut oportet nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,“[2]) quare incipiendo qualicunque ministerio ecclesiastico praemittitur haec invocatio Spiritus S.

Post implorationem adjutorii Spiritus S. ad cooperandum in sacrificio liturgiae, cum plena fiducia stat coram throno gratiae, hymno Angelorum celebrans gloriam Dei, misericorditer praeparantis perficientisque incomprehensibile Incarnationis mysterium, per quam reconciliata sunt omnia „sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.“[3]) Hymnus hic etiam doxologia major nuncupatur, quia comparando cum altero, qui incipit: „Gloria Patri etc.“ ab hoc major, sive extensior apparet, estque canticus triumphalis nostrae salutis, qui post longum silentium

---

[1]) Act. apost. 2., 18.
[2]) Rom. 8., 26.
[3]) Col. 1., 20.

super terra in campo Bethlehemitico de labiis Angelorum iterum resonuit, ut olim in ponendo terrae fundamento, cum Deum „laudarent simul astra matutina et jubilarent omnes filii Dei.“[1]) Est praecipua laudis exsultatio necnon gratiarum actio ac supplicatio et totus quantus mirae sublimitatis. Per illum sublimi affectu gratias agimus propter ipsam gloriam Dei tam internam, consistentem in interna excellentia, seu infinitis Dei perfectionibus, quam externam hujus gloriae internae manifestationem per opera ad extra. Primo enim interna Dei gloria seu infinita ejus bonitas constituit fontem gaudii sanctorum opinante S. Bonaventura:[2]) „Non dubito, imo certus sum, quod plus gaudent Angeli et animae sanctae de magnificentia honoris tui, quam de magnificentia gloriae suae“. „Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis“ dicimus nunc simul cum Angelis altari modo invisibili adstantibus, cum pax deperdita per hoc salutare mysterium sit generi humano denuo restituta, hoc idem enarrant ceterae quoque creaturae, siquidem ad Deum glorificandum cuncta entia velut in corpus unius coalescunt chori. Eapropter etenim coruscant sidera, florescunt plantae, canunt aves et murmurant maria; in Deo glorificando non defatigantur chori coelestes, sed perpetuo superexaltant eum juxta visionem S. Joannis:[3]) „Gaudeamus et exultemus et demus gloriam ei etc.“ Hos imitatur sacerdos quoque, qui memor verborum Psalmistae: „Domine labia mea aperies“, rogat Deum, ut donet ei virtutem ac linguam a Spiritu S. motam ad digne celebranda Dei magnalia, vel secundum verba Apostoli gentium:[4]) „Ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum

[1]) Job. 38., 7.
[2]) Stimul. amor.
[3]) Apoc. 19., 7.
[4]) Col. 6., 19.

fiducia, notum facere mysterium evangelii." Qua de causa, ut eo magis aptum se reddat ad praedicandam Dei majestatem sanctificat se per osculationem s. altaris, sicut aliquando sanctificata fuerant labia Isaiae[1]) per tactum carbonis vivi, per angelum forcipe ipsi de altari allati; et nunc jam alta voce dicit: „Benedictum regnum Patris et Filii et S. Spiritus nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen".

Sacerdos pronunciando haec verba simul cum evangelii libro facit in aere figuram crucis, velut insinuare intendens: Ἐν τούτῳ νικᾷ=in hoc vinces, per sanctam crucem siquidem redemit Christus mundum, quae exinde fons causaque facta est omnis benedictionis.

Revera non possunt excogitare invenirique alia verba his convenientiora initiandae divinae liturgiae!

Ubi enim invenitur magis benedictum regnum regno Patris et Filii et Spiritus S.? Ubi sapientior, melioris intentionis, sanctior, justior magisque misericors gubernator, quam Deus? Ubi perfectiores magisque sanctae leges dantur ac inveniuntur, legibus evangelii, fundamentis hujus regni?

Quamdiu mundus hic durabit imo ulterius, in infinitum, leges hae sanctae, perfectae et omnium temporum exigentiis correspondentes permanebunt. „Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt."[2])

Hoc insigne regnum ac beatum, ut quisque comprehendit: ecclesia est, siquidem advertente S. Augustino:[3]) „Ecclesia sine macula et ruga ex omnibus gentibus

---

[1]) Isaiae 6., 6—7.

[2]) Marc. 13., 31.; Listok, duchovno literaturnij zsurnal, Nr. 20. 1889.

[3]) Lib. 3. De doctrina christiana cap. 34.

congregata atque in aeternum regnatura cum Christo, ipsa est terra beatorum, terra viventium," in qua doctrina egregie suppeditat ei S. Chrysostomus in homilia 4. de verbis Isaiae dicens: „Ecclesia est coelo honoratior, quare conditum est coelum? Propter ecclesiam. Ecclesia non est condita propter coelum: coelum conditum est propter hominem, non homo propter coelum".

Per se liquet, hic sub „Regno Dei" ecclesiam late sumptam intelligi, in quantum scilicet tum ecclesiam triumphantem, tum patientem, tum militantem complectitur.

S. Germanus[1]) interpretans hunc locum advertit, ideo commemorari hic omnes tres divinas personas, „quia primum per Christi Incarnationem didicerunt homines, quod tres personae Deus est, hujus autem Domini Incarnationis secreta et sancta documenta exhibent sacra, quae celebrantur." Figura crucis, facta in aere cum libro evangelii, quemadmodum illa quoque super altare posita, demonstrant: liturgiam in memoriam mortis in cruce peragi. Ceteroquin communis est populi nostri consuetudo, omne opus cum signo crucis incipere. Oscula altaris fiunt in signum venerationis et amoris erga Christum, qui per Altare designatur. Notum est Judaeos per osculum exhibuisse officium communis salutationis. Unde reprehendit Dominus Simonem: „Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti . . . Osculum mihi non dedisti". Sacerdos ascendens ad altare illudque osculans, repraesentat mystice Jesum obviam procedentem inimicis et osculo traditum; stans vero in medio altaris, Jesum stantem ante Caipham et ter a Petro negatum.

Quoniam altare montem Calvariae repraesentat, necesse est ac perconveniens, ut hujus instar crucifixo

[1]) Goar o. c. p. 106.

ornetur, quod tum celebranti presbytero, tum adstantibus fidelibus in memoriam revocat passiones Christi, quorum liturgia realis effectio est, observante Bona:[1]) „Ab aspectu crucis sacerdoti celebranti passio Christi in memoriam revocatur, cujus passionis viva imago et realis repraesentatio hoc sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tamquam idem sacrificium, quod in cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur".

Simeon Thessal.[2]) sequentem de his rebus praebet interpretationem: „Altare quidem velut alterum coelum habemus, templum vero, ut quod terrestria significet conspicimus; ibidem enim omnes concurrunt, congregaturque; per sacerdotem Jesus significatur, quem et s. Evangelium in altari conspicuum et crux sacriffcium ejus indicat. Lumina sublime ardentia stellarum fulgores imitantur." Igitur prout altare est sacrificii sustentaculum, ex quo oblatum in odorem suavitatis ascendit et sine quo recideret in terram nec sursum conscenderet, ita Christus sustentat et portat omne sacrificium omnemque cultum, adeo ut nihil extra Christum, nec quidquam nisi per Christum acceptabile Deo offerri possit.

Modo alta voce incipit collectam magnam percensetque in ea necessitates ac aerumnas nostras, populo ad singula respondente: Κύριε ἐλέησον=Domine miserere, quae expressio procedit ex Κύριος=dominus et verbi ἐλέω=misereor, auristi imperativo. Frequens iteratio ejus in genere denotat perseverantiam, qua constanter obtrudimus nos Deo, miserationem auxiliumque ejus imploraturi. Procul dubio habet quamdam peculiarem emphasim, cujus causa perapta est animam disponere ac praeparare ad

---

[1]) Rer. liturg. l. i. c. 25. n. 8.

[2]) Goar. o. c. p. 182.

accipienda dona divina. Etenim humilitas, fides et oratio constituunt clavem ad aerarium Dei thesaurorum divitiasque miserationis divinae. Ast quid aliud vult homo per frequens Κύριε ἐλέησον notificare, quam humilem sui miseriae confessionem, firmam in divina misericordia fidem, desideriumque pro adjutorio Dei? Quousque nos pueri Hevae in hac lacrymarum valle velut in exilio peregrinare debemus, non est nobis magis necessaria efficaciorque oratio, quam Κύριε ἐλέησον, haec animam excitans petitio, hic humilis gemitus, quo fideles cupidissime adeoque corda commovente modo suspirant ad Deum, ut misereatur eorum. Juste igitur extollit eam Dionysius[1]) Carth. dicens: „Inter omnia verba deprecativa verbum hoc Miserere videtur efficacissimum et insuperabile esse et Omnipotenti quodammodo praevalere. Nam quidquid dicenti Miserere dixerit Deus, ipse orans opponere potest et dicere: Miserere. Si dixerit Deus: Impius es et omni misericordia mea indignus, respondet miser: Miserere. Nam quia indignus sum, imo indignissimus et quasi infinite indignior, quam ego ipse comprehendere valeo, ideo dico et oro: Miserere mei. Et quidquid huic orationi objiciatur, scilicet quod non oro ex zelo justitiae, ex charitatis affectu, idem verbum resumam dicamque: Miserere. Etenim quia ex zelo justitiae et charitate non oro, peto ut mihi miserrimo miserearis et des mihi ex zelo justitiae atque ex charitate et ut tibi placeat, orare. A tua justitia ad tuam misericordiam confugio, quae in infinitum major est omni malitia et miseria mea: ideo miserere mei, a cujus verbi prolatione nunquam cessabo.“ Sed ut divinae miserationis certe participes fieri queamus, necesse est, ut suspirium Κύριε ἐλέησον magna cum humilitate contritioneque cordis prorumpat et tanto fer-

[1]) De oratione, art. 27.

ventius dicatur, quanto saepius iteratur, ut vi, — quam habet, — flagrante incendat animas fidelium adducatque quieti totali in Dei voluntate.

Collecta haec magna graece εὐχὴ ἐκτενῆς μεγάλη vel etiam εἰρηνικά, a prima voce hujus collectae ἐν εἰρήνῃ= in pace, denominatur. Sonat vero sequenti modo: Sacerdos: „In pace Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere". In pace hic idem est ac tranquillitate animae concordiaque ad proximos nostros, praecipiente Salvatore:[1]) „Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem", cum non solum absque recta fide conscientiaque, sed nec cum mutuae cum proximis concordiae defectu liceat nobis ad Deum orandum stare, monet enim apostolus[2]) Gentium: „Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione."

Sacerdos: „Pro superna pace et salute animarum Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere." Superna pax secundum S. Paulum[3]) „pax Dei, quae exsuperat omnem sensum", de qua inquit Isidorus Pelusiota:[4]) „Pacem da nobis, id est insolubilem conjunctionem Tecum, ut pacificati per Spiritum S., semper indivisi fiamus ab amore tuo." Sub salute intelligenda est salus nostra aeterna, utpote bonum nostrum maximum, dicente enim Thoma a Kempis:[5]) „Nihil utilius et salubrius cupienti ad vitam aeternam pervenire, quam semper cogitare de animae suae salute", inde hujus statim a principio memoria agitur.

---

[1]) Marc. 11., 26.

[2]) I. Tim. 2., 5.

[3]) Philip. 4., 7. — [4]) Dmitrewskij o. c. p. 148.

[5]) Hortulus rosarum. cap. 9. sect. 3.

Sacerdos: „Pro pace totius mundi, stabilitate sanctarum Dei ecclesiarum et pro omnium concordia Dominum precemur.“ Chorus: „Domine miserere.“ Hic sermo est de pace conscientiarum, propter quam Dominus in hunc mundum venit ac passus est et quam ecclesia in mundo ulterius propagat, ut cunctos in eadem conjungat fide, cum saevientibus persecutionibus ecclesia nequeat stabiliri, eoque minus opus pacificationis continuare. Pacem itaque imploramus ecclesiae veram et plenam, internam ac externam pacem, cum haec sit maximum bonum benedictioque pro ea, quippe quae adjuvat ipsam in exercenda magna ejus missione ad omnes gentes, ut his thesaura divinae veritatis gratiarumque impertiat. Quid enim est pax, nisi tranquillitas ordinis (S. August.), quae adjuvat nos „ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.“[1])

Sacerdos: „Pro hanc sancta domo et iis, qui cum fide, religione, Dei timore ipsam ingrediuntur, Dominum precemur.“ Chorus: „Domine miserere.“ Sensus est, ut ingredientes ecclesiam Dei, ibi cum fide viva, debita devotione convenienteque filiis Dei timore assistant.[2])

Sacerdos: „Pro episcopo nostro (N), venerandis presbyteris, in Chrysto diaconis, universo clero et populo, Dominum praecemur.“ Chorus: „Domine miserere.“ Primo loco commemoratur dioecesanus antistes, eo quod omnes in dioecesi dignitate ac honore superemineat, cuique ab universo grege virtus atque sapientia imploratur, ut queat officium suum sanctum secundum divinam voluntatem explere. Deinde sequuntur presbyteri, diaconi

---

[1]) I. Tim. 2., 2. — [2]) Skrizsály, p. 2. §. 16.

ac universus clerus, utpote a Christo ad aedificandum mysticum ejus corpus instituti, observante Dionysio Carth.:[1]) „Quamvis pro tota plebe christiana sit in missa generaliter et primo orandum, tamen pro summo pontifice et pro pastore praecipue exorare oportet, deinde pro his, qui in populo christiano excellentius clarent et pluribus prosunt fidemque per suam sapientiam defendunt atque exponunt.“ Tandem mentio fit populi, scilicet orthodoxi (a voce ὀρθός=rectus et δόξα=sententia), eo nempe, qui nullo errore depravatus, rectae fidei confessione Deum glorificat et fide vitaque semet clero adjungit, a quo et sanctificatur.

Sacerdos: „Pro piissimo rege nostro (N), toto palatio et exercitu ipsius, Dominum precemur“. Chorus: „Domine miserere.“

Sacerdos: „Ut omnem inimicum et adversarium pedibus suis subjiciat, Dominum procemur.“ Chorus: „Domine miserere.“ Ecclesia pro rege orat, utpote pro repraesentatore potestatis civilis, cum ratione finis ultimi utraque potestas in eo collineat, ut ad illustrationem gloriae Dei tendat oportet. Et quamvis quoad finem proximum maximis intervallis ab invicem distent, nihilominus tamen ex voluntate Dei concordibus studiis mundum regere et humanum genus consociatis viribus ad suam destinationem perducere tenentur, quae est salus aeterna ac prosperitas temporalis populorum, quae nequit obtineri, nisi uterque principatus amico foedere consocietur. Unde docet Leo XIII.[2]) binas potestates, utpote a Deo institutas natura sua sibi adversari non posse addens: „Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse

1) Exposit. Miss. art. 18.

2) Encycl. „Immortale Dei“, p. 12.

est ordinata colligatio, quae quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulatur." Huic ratiocinationi nititur ista concinna de duobus gladiis[1]) definitio, de spirituali nempe ac temporali, ex qua doctrina sequitur, gladium temporalem in auxilium gladii spiritualis esse positum, dignitate ei quidem inferiorem,[2]) in suo autem ordine, nisi legi divinae contradicat, independentem esse. Jam rex (ceu potestas civilis) in sequentibus adjuvat ecclesiam: 1. Morum corruptionem cavet externamque decentiam promovet, dum legibus ac poenis scelera impedire, vel saltem reprimere conatur. 2. Potissimum est motivum, propter quod pro regibus orare obligamur, quod illi pacem conservent. Nihil enim magis obest religioni ac regimini pastorali, quam civium commotiones bellaque, sive externa, sive intestina. Tandem 3. non minus magni ponderis est, quod rex tamquam summus jurium protector ecclesiam tueatur ac defendat.[3]) Reliquorum sensus per se patet.

Sacerdes: „Pro sancta hac mansione, omni urbe et regione et cum fide habitentibus in ipsis, Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere." Loquitur de aedificio, ubi s. officium peragitur, de domibus ac urbibus, quas incolimus, quaeque nobis securitatem praestant, necnon de ceteris locis, ut in illis fratres nostri similiter pace fruantur.

Sacerdos: „Pro bona aeris temperie, fructuum terrae fertilitate et pacificis temporibus, Dominum precemur." Chorus:

---

1) Can. Auctoritatem. 2. C. 15. qu. 5.; Posadowsky, De duobus univ. monarchiae gladiis. Vratisl. 1867.

2) C. Solitae. 6. §. Verum si 2. X. de M. et O. (I. 33.)

3) Aichner. Comp. jur. eccl. ed. 7. p. 94.

„Domine miserere.“ In hac oratione minister ecclesiae fungitur legatione ad Deum pro conditionibus publicae prosperitati necessariis, velut alter Jeremias[1]) juxta illud: „Hic est fratrum amator et populi Israel, hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate.“

Sacerdos: „Pro navigantibus, iter agentibus, aegrotis, laborantibus, captivis et salute ipsorum, Dominum precemur.“ Chorus: „Domine miserere“. Modo enumerata ecclesiae membra variis magnisque laborant periculis, pro quibus ergo intercedunt fratres, ut ab iis liberentur. De captivis notandum, illos esse intelligendos, qui nominis Domini causa sunt incarcerati vel in vincula jacti.

Sacerdos: „Ut liberentur ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate, Dominum precemur.“ Chorus: „Domine miserere.“ Sensus ex propheta Sophonia sumptus est, dicente: „Dies irae, dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae etc.“ Vates praedixit his dirutionem Hierosolymorum; ecclesia vero, ne tale quid et Christi fidelibus contingat, iram Dei ac rigorem fervida supplicatione praevenire nititur.[2])

Juste advertit de expositis precibus supra laudatus Murawieff:[3]) „Wass kann rührender sein, als die Fürbitte für die Schiffenden, Reisenden, Kranken, Leidenden, Gefangenen, um Rettung derselben? Auch nicht ein menschliches Uebel bleibt hier dem Auge der barmherzigen Kirche verborgen.“

Nunc sequitur oratio antiphoni primi secreto: „Domine Deus noster, cujus nec potentia

---

1) 2. Macc. 15., 14.

2) Dmitrewskij, o. c. p. 150.

3) Muraltti o. c. p. 13.

aestimari, nec gloria potest comprehendi, cujus est immensa misericordia et clementia ineffabilis: ipse Domine pro tua miseratione in nos respice et fac nobiscum et cum iis, qui nobiscum orant abundantes misericordias et miserationes tuas." Qua finita pronunciat ἐκτενὴν μικράν (scilicet εὐχὴν ἐκτενῆς μικράν) nominatam ut sequitur: „Suscipe, salva, miserere et custodi nos Deus tua gratia." Chorus: „Domine miserere." Sacerdos; „Sanctissimae, illibatae, super omnes benedictae, gloriosae dominae nostrae Deiparae et semper virginis Maríae cum omnibus sanctis memoriam recolentes, nosmetipsos et invicem et omnem vitam nostram Christo Deo commendamus." Chorus: „Tibi Domine." Sacerdos: „Quoniam te decet omnis gloria, honor et adoratio, Patrem, Filium, et Spiritum S. nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen", et illico incipit primum decantare Antiphonum, quod est aut typicum, si est dies dominicus, sin vero, quod diei proprium est.

Diversus vocis tonus ab ecclesia praescribitur, ut mentes fidelium hisce adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustollantur, quocirca sacerdos quandoque secreto, i. e. submissa voce tenetur orare ad exprimendum simul: proprie dumtaxat ipsum esse organum Christi in offerendo sacrificio, cum solus sacerdos sit vi consecrationis qualificatus sacramenta dispensare, atque Deum inter populumque mediator esse. Porro vox secreta animi recollectionem et reverentiam indicat ac

juvat, necnon ad innuendum profunda hoc tempore peragi mysteria; aut etiam adhibetur, ne sacrosancta verba saepissime repetita vilescant; quandoque vero ob mysticas rationes, quia sacerdos in altari personam ipsius Christi Domini repraesentat, qui eodem modo in horto et praesertim in cruce orabat. Vox alta adhibetur ad alloquendum populum, ad precandum cum populo; vel ad glorificandum (ut in doxologiis), aut ad vehementiorem affectum exprimendum. Sibi vero et cunctis ceteris orantibus ideo in cumulo petit Dei miserationem, quia ad unam eandemque coelestis regni haereditatem ab eodem piisimo Patre Deo pia adoptione vocati sumus.

In ἐκτενῆ μικρᾷ flagitat a Deo, ut protegat nos periclitantes, suscipiat causam nostram defendendam, misereaturque nostri, cum sine miserocordia ac gratia Dei nihil salutiferi queamus facere, in gratia Dei siquidem omnem nostram spem collocantes, quippe quae absolute necessaria est ad salutem. Audivimus ulterius in ἐκτενῆ μικρᾷ, quae post primi antiphoni orationem consequitur, fieri commemorationem B. V. Mariae et omnium sanctorum. Fit autem haec recordatio ea de causa, ut tali modo impetremus eorum intercessionem et per id preces nostras unitas cum precibus eorum throno gratiae. Altissimi sistamus. Illustre exhibet testimonium haec liturgica oratio de fide publica communique venerandae antiquitatis quoad utilitatem invocationis sanctorum. Consuetudo haec omni laude digna ab ipsis incunabulis ecclesiae viget. Luculentum desuper suppeditat nobis argumentum Origenes[1]) dicens: „Συμπράττουσι τοῖς βουλομένοῖς τὸν ἐπί πᾶσι θεόν θεραπεύειν, καὶ ἐξευμενίζονται, καί συνεύχονται, καὶ συναξιοῦσιν.“

„Adjuvant eos, qui summum Deum colere volunt, illum eis conciliant, suas illorum precibus adjungunt

1) Contra Celsum lib. 8.

preces, simul cum eis postulant.“ necnon illa, — ut cetera omittamus, — inscriptio[1]) ex coemetorio s. Agnetis reperta, graecisque litteris exarata, in qua sculptor et scriptor se commendat orationibus S. Dionysii, quae juxta graecam linguam latinamque versionem ita se habet:

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΝΗΠΙΟΣ = Dionysius infans
ΑΚΑΚΟΣΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙ = innocens hic dor-
ΤΕ ΜΕΤΑ ΤΩΝ Α = mit cum san-
ΓΙΩΝ ΜΝΕΣΘΕΣΘΕ = ctis recordanimi
ΔΕ ΚΑΙ ΗΜΩΝ ΕΝΤΑΙ = autem etiam nostrum,
ΣΑΓΙΑΙΣ ΥΜΩΝ ΠΡΕΥΧΑΣ = in sanctis vestrum
ΚΑΙ ΤΟΥ ΓΛΑΥΨΑΝΤΟΣ ΚΑΙ ΓΡΑΨΑΝ = orationibus
ΤΟΣ. = et sculpentis et scribentis.

In fine adhibita glorificatio nihil est, nisi causae expositio, propter quam prolatarum precum expletionem petit, quae est gloria Dei secundum verba coronati prophetae:[2]) „Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.“

Sub antiphonis intelliguntur selecti versiculi ex psalmis, quorum singulis ecclesia succinit suum suspirium. Nomen inde originem ducit, quod alternatim canuntur singuli a duobus choris, διά τῶν ἀντιφόνων ὕμνων, scilicet quia mutua est utriusque chori ad invicem responsio et voces jam auditae, rursum vel ex toto, vel ex parte iterantur. Inventorem ac introductorem antiphonorum in cultum christianum, martyrem Ignatium in principio saeculi II. episcopum Antiochiae in Syria patremque apostolicum cum pluribus asserit Photius dicens: „Principium antiphonis dedisse Deiferum Ignatium Angelos hoc pacto divinum numen celebrantes imitatum dicunt.“

---

[1]) Monumenti delle arti cristiane primitive nella Metropoli del cristianesimo disegnati ed illustrati per cura di Guiseppe Marchi d. l. d. G. Roma, 1844. pag. 104. sq. — [2]) Ps. 113., 1.

Hujusmodi cantus choralis etiam in ecelesia antiquae legis adhibebatur. Sic notum est, Davidem Levitas in quatuor classes divisisse, quarum unam cantores constituebant, in 24. ordines hebdomadarios subdivisi.

Usum, Antiphonorum, etiam apud Essenos viguisse, patet ex testimonio Philonis Judaei loquentis: „Primo duo sunt chori: alter virorum, alter feminarum. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos variis metrorum carminumquae generibus: nunc ore uno, nunc alternis, non sine decoris et religionis gestibus atque accentibus: modo stantes, modo ante retrorsumve gradum moventes, utcunque res postulat. Deinde postquam uterque chorus seorsum explevit se his deliciis, velut amore divino ebrii, unum chorum faciunt promiscuum, ad imitationem illius olim instituti in rubri maris littorre.“[1]) Serius huic psallendi mori adjunctum fuisse usum certae clausulae, post singulos versiculos adhibendae, quae ὑπόψαλμα, ἐφύμνιον vocabantur, discimus ex historia s. Athanasii, qui in magnis angustiis constitutus, diacono praecepit psalmum recitare, populum autem verba: „Quoniam in saeculum, misericordia ejus“ succinere jussit.

De symbolica Antiphonorum significatione Cabasilas Nicolaus[2]) Metropolita Thessalonicensis († 1371.) qui inter alia egregium opus Ἑρμηνεία κεφαλαιώδης etc. = compendiosa interpretatio in divinum officium conscripserat, sequentia advertit: „Tempus, quod fuit ante Joannem, significat Prophetica, quae canuntur, quando etiam pretiosa dona, per quae Christus significatur, nondum in medium adducuntur, sed seorsum cooperta et reposita sunt“, quae hoc modo Christum sub donis in prothesi locatis,

1) Goar o. c. p. 107.

2) Migne PP. gr, CL. 355. sq.

velut in praesepe jacentem convenientissime adumbrant. Item ait porro: „Prima tempora adventus ejus significant Antiphona, quando aderat quidem Jesus, sed non cognoscebatur a multis. Tunc enim opus illi adhuc erat dictis propheticis". Simeon autem Thessal. haec: „Sacerdotes quidem intus orationes aggrediuntur et cantores Antiphona modulantur, trifariamque illa tribuunt et ea, quae ex psalmis desumpta sunt, praecinunt: tum vero adjungunt hymnos, qui gratiae suavitatem sapiunt. Et psalmicis quidem illis praenunciatam antiquis, quibus revera praedicebat, Dei Verbi incarnationem significant. Per versus vero resumptionem ipsam gratiam ut consummatam et incarnatum Dei Filium cuncta pro nobis operantem repraesentant. Proptereaque primo eam, quae illum incorruptā virginitate peperit venerati, illius pro nobis intercessionem imploramus, dicentes: precibus Deiparae, serva nos Salvator. Sanctorum deinde memoriam agentes, qui pro mysterio decertantes fidei sanctissime consummati sunt, eorum nobis conciliamus supplicationes. Salutis tandem nostrae auctorem et consummatorem Christum collaudantes clara voce: salva nos Fili Dei, modulamur.[1])

Verbis autem Antiphoni primi misericordia et veritas Salvatoris annunciatur, qui post singulos versiculos ad nos salvandos per preces Deiparae imploratur, quippe quae merito fidei in Christum atque laude humilitatis omnium prima fuit.

Secunda Antiphona canunt decorem et firmitatem regni atque fortitudinem regis ac laudant testimonia ejus, quae credibilia facta sunt nimis, post singulos versiculos recurrentia ad preces Sanctorum. De his juxta veterum traditionem testatur S. Germanus: ὅτι ποίημα ἐστίν Ἰωσὴφ καὶ Νικοδήμου Joseph et Nicodemi opus esse, qui

[1]) Goar o. c. pp. 107., 108.

cum tollerent Dominum, ut sepelirent, tale carmen initiati sunt de venerando ac vivifico corpore et Deitate nunquam ab eo separanda.[1]) Ante hoc secundum Antiphonum sacerdos secreto orat: „Domine Deus noster, salva populum tuum et benedic haereditati tuae, plenitudinem ecclesiae tuae custodi, sanctifica diligentes decorem domus tuae: tu ipsos vicissim glorifica divina tua potentia et ne nos in te sperantes derelinquas," quam orationem iterum ut supra sequitur ἐκτενή μικρά, in cujus fine sacerdos alta voce inquit: „Quoniam tua est potentia et tuum est regnum et potestas et gloria Patris et Filii et Spiritus S. nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen".

In allata oratione sacerdos improprie exprimit suam insufficientiam fateturque omnipotentiam atque clementiam Dei petitque eum ut talem ad adjuvandum ac succurendum gregi fideli, qui non nisi in ejus subsidio confidat. Frequenter, quemadmodum supra quoque populus fidelis haereditas Dei appellatur, „eo quod possideatur a Deo per fidem et gratiam, sicut haereditas ab haerede."[2])

Antiphonis secundis subjungitur canticum: ὁ μονογένης υἱός. „Unigenitus Filius, Verbum divinum, qui immortalis es et voluisti nostrae salutis gratia incarnari a sancta Deipara et semper Virgine Maria, non mutando homo factus et crucifixus Christus Dominus, mortem morte conterens, unus e sanctissima Trinitate, conglorificandus cum Patre et Spiritu S., salva nos."

1) Goar. o. c. p. 108.

2) S. Antonin. Part. 2. tit. 1. cap. 21. §. 5.

Georgius Cedrenus, historicus graecus saec. XI. in sua „Synopsi historiarum“ refert, imperatorem Justinianum hujus cantici esse auctorem, quod ex occasione erectionis ecclesiae percelebris, Σοφίῃ Θεοῦ dedicatae, composuit canendumque tradidit in glorificationem Unigeniti, qui licet homo factus, tamen simul Deus quoque permanserit ac ad eradicandam Nestorii haeresim, matrem Dei non Θεότοκον, sed tantum Χριστότοκον appellantem, quasi illa solummodo hominem peperisset. Cedreno assentitur Lodovicus Philaras Atheniensis in sua χριστιανικῇ διδασκαλίᾳ loquens: „Hunc modulum Justinianus Imperator in nativitatis et passionis Christi honorem composuit; cui et haec verba inseruit adversus Nestorianorum haeresim.“[1])

Secundum interpretes ideo ponitur canticum hoc statim post antiphona, ut in his praedicatus corporalis adventus Christi jam adimpleri eo intensius contestetur. Dicitur vero „Unigenitus“, quia in divinis datur processio, scilicet origo unius personae ab altera. Oriturque processio Filii a Patre per generationem, quae est: origo viventis a principio vivente, conjuncto in similitudinem naturae vi ipsius generationis vel processionis;[2]) dicitur ergo „Filius“, prout confitentur patres Nicaeni: „Credo in Filium Dei Unigenitum“, qui teste S. Paulo:[3]) „splendor gloriae et figura substantiae“ Dei est; ulterius „Verbum“, ad quod S. J. Chrysostomus notat: „Prout verbum meum ex anima mea nascitur, sic natus est et Filius a Patre“, quod verbum Pater aeterne genuit, id est ante tempus. „In principio erat verbum et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.“[4]) „Immortalis“ asseritur, quia Deus

---

[1]) Goar. o. c. p. 108.

[2]) S. Thomae, Summa theol. p. 1. qu. 27. art. 2. in corpore.

[3]) Hebr. 1., 3.

[4]) S. Joan. 1., 1,

est, deitas autem non potest subjecta esse morti; porro celebratur, ut qui benigne assumpsit corpus humanum ex B. V. Maria, seu incarnatus est, quin essentialiter mutatus fuisset, vel aliis verbis: qui idem mansit, quod prius fuit, quia per incarnationem nihil amisit ex iis, quae antea habuit. „Verbum et caro atque anima, unus Jesus Christus, et unus Dei hominisque est filius: nec Verbum in carnem, nec in Verbum caro mutata est, sed utrumque in uno manet, et unus in utroque est, non diversitate divisus, non permixtione confusus, non alter ex Patre, alter ex matre".[1]) Est verus Deus et verus homo, „qui morte sua conterit mortem", scilicet aeternam, consistentem in damnatione hominis ad aeternam disjunctionem a gloria Dei, lavit enim per effusionem sanguinis sui peccata totius mundi, qui secundum verba S. Pauli:[2]) „destruxit quidem mortem et illuminavit autem vitam et incorruptionem per Evangelium." „Unus e SS. Trinitate, conglorificandus cum patre et Spiritu S.", ipso fatente de se: „Clarifica me tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te, quia dilexisti me ante constitutionem mundi".[3]) Concluditur canticum invocatione: „salva nos", quasi diceretur: Unigenite, qui nostrae salutis causa passus es, fac nos participes hujus salutis.[4])

Canticum „Unigenitus" sequitur ἐκτενὴ μικρά cum invocatione sacerdotali: „Q u o n i a m b o n u s e t c l e m e n s D e u s e x i s t i s e t t i b i g l o r i a m r e f e r i m u s: P a t r i e t F i l i o e t S. S p i r i t u i n u n c e t s e m p e r e t i n s a e c u l a s a e c u l o r u m." Chorus:

---

[1]) S. Leo M. epist. 11. ad Julianum episc. Coensem.

[2]) II. Tim. 1., 20.

[3]) Ioan. 17., 5., 24.

[1]) Dmitrevskij, o. c. p. 161.

„Amen“, hanc vero oratio tertii Antiphoni secreto: „Qui communes et concordes has nobis orationes largitus es, qui etiam duobus et tribus in tuo nomine convenientibus te petitiones daturum es pollicitus: ipse etiam nunc servorum tuorum petitiones imple et utilitatem, suppeditans nobis in praesenti saeculo agnitionem veritatis et in futuro vitam aeternam largiens.“

In his plura Dei attributa extolluntur, et quidem expressione: „te petitiones daturum es pollicitus“. 1. veracitas, quae est: constans in Deo voluntas vera dicendi, per quam a Deo omne mendacium ac falsum omnisque illusio ac deceptio prorsus excluditur, docente Christo Domino:[1]) “Qui misit me verax est;“ 2. fidelitas, seu constans ac imutabilis in Deo voluntas servandi promissa, vi cujus non possunt effectu non compleri, quae ipse aut comminatus est malis, aut diligentibus se repromisit, nam: „fidelis Deus in omnibus verbis suis.“[2]) 3. In ecfonesi laudatur Dei bonitas, quae triplex distinguitur a) naturalis, consistens in ipsa naturae perfectione, quo sensu Deum infinite bonum esse exinde patet, quia in omni genere perfectissimus est; b) moralis, quae in Deo ipsa illa immutabilis voluntas perfectionibus suis conformiter agendi est, quam sub nomine sanctitatis noscimus; c) relativa, id est immutabile propositum voluntatis divinae eos, quos condidit, beatos ac felices reddendi, seu qua entibus felicitatis capacibus absolute benevult ac benefacit, ut ait Sapiens:[3]) „Diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti eorum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.“

[1]) Ioan 8., 26.
[2]) Psalm 144. — [3]) Sap. 11., 25.

Sub implorata „veritate“ nobis agnoscenda illa intelligitur, quae „ubique mater est sanctitatis, nusquam offendit, nusquam errat, non deviat, non declinat, rectum cor praeparat.“[1]) Nobis utcunque magis arridet sententia eorum, qui vocem „veritatis“ de revelatione divina interpretantur.

Tertium Antiphonum tres versus ex ps. 94. cum adjunctis suspiriis, sive autem „μακαρισμοί“ beatitudines a Christo Domino in sermone montano enumeratae constituunt, continentes novem virtutes evangelicas, ducentes hominem ad perfectionem spiritualem, quare docet S. Basilius:[2]) „Beatus est, qui ea possidet, quae maximi pretii aestimantur, qui bonorum, quae auferri non possunt, particeps est.“ Vocantur exinde beatitudines actus boni praestantes, qui vel a virtutibus, vel excellentiori modo a donis Spiritus S. proficiscuntur et peculiari ratione conducunt ad aeternam beatitudinem adipiscendam.[3])

Prima beatitudinum paupertas spiritualis est, seu humilis confessio coram Deo miseriae, debilitatis ac insufficientiae nostrae quoad bona opera; secunda fletus et lacrimae propter peccata juxta illud S. J. Chrys:[4]) „Tristemur tristitia, quae gaudii sit pater: et non laetemur gaudio, quod tristitiam pariat“. Tertia beatitudo est mansuetudo, per quam homo animo satis placato et mansueto accipit mala per divinam providentiam sibi immissa, quam ergo habent: „qui impacientiae, invidiae vindictae ceterisque turbidis animi motibus et perturbationibus dominantur, ut nec obmurmurent Deo adversa

1) S. I. Chrysostomus in hom. super Psal. 118.

2) S. Basilius M. super Ps., 1., 1.

3) Müller, o. c. t. 2. p. 450.

1) S. I. Chrysost. serm. 15. ad Philipp.

immitenti, nec proximis injurias inferentibus indignentur, nec a laedentibus vindictam expetant, sed omnia placide tolerent, in Dei providentiam, omnia haec ordinantis ad suam gloriam et ipsorum salutem, plane se resignantes et conquiescentes."[1]) Quarta: fames ac sitis justitiae est, „hanc enim, quatenus est virtus generalis, imo complexio omnium virtutum, non simpliciter velle, sed assidue esurire et ardenter concupiscere debemus."[2]) Quinta misericordia est, quae licet virtus moralis sit, tamen proxime ex charitate, ut quidam ejusdem effectus procedit suadetque, ut adjuvemus in quo possumus alios, sicut nos, in quo non possumus, cupimus, ab aliis adjuvari. Sexta: castitas cordis, consistens in immunitate ab omni libidine et carnis concupiscentia voluntaria atque tali modo in puritate conscientiae. Septima: pacificatio, id est compositio pacis inter adversantes nec non restitutio recti ordinis in homine per peccatum subversi, scilicet ut corpus subjectum se habeat animae rationali. Octava: magnanima patientia persecutionis propter justitiam, quam tam pulchris extollit verbis S. Ambrosius[3]) dicens: „Usque ad finem te ducit, usque ad martyrium prosequitur, ibi constituit beatitudinum palmam", per passionem enim propter justitiam similes fimus Christo, qui continuo usque ad mortem crucis a Judaeis persecutionem sustinuit. Nona beatitudo est: odium ac ejectio propter nomen Christi. Ad hanc allusit S. Ignatius de Loyola rogantibus: quaenam esset via ad perfectionem, respondens: „Si multa et magna pro Christo patiamini."[4])

Intra recitationem tertii Antiphoni sacerdos ante

---

[1]) Corn. a Lapide Comment. in hunc locum.

[2]) Ibidem.

[3]) Lib. 5. in cap. 6. Luc. vers. 23.

[4]) Cf. Ribadeneyram in ejus vita lib. 1. cap. 14.

altare adorans accipit s. Evangelium atque cum illo per portam septemtrionalis partis, — postquam circumivit altare — egreditur, in via orationem ingressus s. evangelii secreto recitans: „Dominator Domine Deus noster, qui in coelis ordines et exercitus Angelorum et Archangelorum in ministerium gloriae tuae constituisti: fac ut una cum introitu nostro sit etiam sanctorum Angelorum introitus, simul nobiscum ministrantium et bonitatem tuam conglorificantium, quoniam te decet omnis gloria, honor et adoratio, Patrem et Filium et Spiritum S. nunc et semper et in saecula Saeculorum. Amen." Stansque ante portam regiam benedicit s. Evangelio dicens: „Benedictus ingressus sanctorum tuorum, perpetuo nunc, et semper et in saecula saeculorum. Amen," atque osculans s. Evangelium imitansque cum illo in aere tropaeum crucis alta voce ait: „Sapientia; recti."

Ex modo audita oratione discimus officia angelorum, esse 1. Deum laudare juxta illud: „Et omnes angeli stabant in circuitu, throni . . . et ceciderunt in conspectu throni in facies suas et adoraverunt Deum, dicentes: amen etc."[1]) 2. Dei jussis obtemperare in iis praesertim, quae spectant hominum salutem, quatenus „omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis.[2]) „Nimirum omnia entia creata unum universum constituunt, non solum quia ex una eademque origine emanarunt, ex nihilo scilicet per omnipotentiam divinam, nec tantum ideo, quoniam omnia omnino utpote creata: finita sunt, ergo ex hac ratione

---

1) Apoc. 7., 11.

2) Hebr. 1., 14.

enti infinito opposita, sed praecipue, quia ad se invicem referuntur, inter se invicem conjunguntur, ac unumquodque, licet finem sibi proprium praefixum habeat, simul propter alterum quoque existit. Unde nos ex angelicis suffragiis et comministratione in cultu divino, quam in laudata oratione petimus, pariter utilitatem percipimus.

Sacerdos ascendens cum s. Evangelio ad altare, deponit illud ad locum pristinum incipitque orationem: „Deus sancte, qui in sanctis requiescis etc.", de quibus posterius.

Mentem ritus minoris agressus hujus S. Germanus sic aperit: „Introitus Evangelii adventum indicat Filii Dei et ingressum ejus in hunc mundum, ut ait Apostolus[1]) cum induxerit nimirum Deus et Pater „primogenitum et unigenitum in orbem ait, adorent eum omnes Angeli ejus".[2]) Hinc omnes s. Evangelio per ecclesiam delato reverentiam exhibent, ad quam excitandam augendamque cum triplici cereo occuritur ei, chorus vero canit: „Venite, adoremus et prosolvamur Christo. Salva nos Fili Dei" et reliqua, deinde troparia et ea, quae per diem sunt Sancti. Oratio, quam in introitu s. Evangelii proloquitur sacerdos „Domine Deus noster" ab ipso S. Basilio composita ac tradita est ecclesiae et quidem jam post separationem altaris a reliqua parte ecclesiae et eo cum fine, ut introitus in s. altare praefiguratio fiat illius in Sancta Sanctorum, in coelum. Notandum in liturgia duplicem ingressum dispesci oportere: minorem ac majorem, quorum origo sequens est:

Antiquitus singulis ecclesiis tum a dextera, tum a sinistra parte cellae erant adjunctae, quae παστοφόρια appellabantur. In una harum custodiebantur vestimenta,

---

[1]) Heb. 1., 6.

[2]) Goar, o, c. p. 108.

vasa, libri, inter quos s Evangelium quoque; inde nomen ejus Σκευοφυλάκιον et etiam διακονικόν quoniam horum custudia curae diaconorum commissa fuerat; altera vero cella pro depositione panum, vini, olei, thuris aliarumque oblationum atque πρέθεσις appellabatur. Jam sub liturgia s. Evangelium ex σκευοφυλάκιον exportari debebatur, quae ceremonia ingressus minoris nomen accepit; — serius nempe post liturgiam catechumenorum a diaconis et species pro sacrificio selectae ex πρέθέσις afferebantur, cui ceremoniae ingressus majoris nomen dederunt.

Ad verba sapientia, recti=σοφία, ὀρθοί sequentia observat Goar:[1]) „Bifariam vox haec secunda juxta diversa exemplaria legitur. Vel ut sit attributum foemineum dictionis σοφία, scilicet σοφία ὀρτή: et tunc populum, ut rectam ad deum tendentem sapientiam teneat, Diaconus hortatur: vel ut sit plurale masculinum, σοφία, ὀρτοί, et tunc erectos omnes sapienter stare jubet, haec enim acclamatio exhortationem in sese includit." Huic ultimae sententiae favet Dmitrewskij[2]) quoque, referens veteres christianos sub lectione scripturarum sedere solitos fuisse, quando itaque aliqua majoris momenti actio v. gr. lectio s. Evangelii, orationes etc. sequebantur — de his per acclamationem diaconorum: σοφία, ὀρθοί admonebantur, scilicet ut surgant de sedibus suis et stent recti, considerentque sapientiam, tunc illis sive per verba, sive symbolicis actibus ritualibus propositam. In hoc sensu adhibetur et in liturgia nostra vetero-slavica per verba: premudrost, prosti.

Triplex cereus (τρικήριον) significat tres virtutes theologicas, scilicet fidem illuminantem, quae est habitus infusus, quo firmiter assentimur veritatibus a Deo reve-

---

1) O. c. p. 108.

2) Dmitrevszkij, o. c. p. 171.

latis et ab ecclesia propositis, quaeque formata fiat necesse est, seu viva, id est talis, quae gratia habituali et caritate alitur ac perficitur; porro spem ad superiora tendentem, quae est virtus supernaturalis, qua voluntas humana sperat aeternam beatitudinem Dei auxilio obtinendam et tandem charitatem, seu illam virtutem theologicam, qua Deus diligitur tamquam summum bonum propter se: proximus autem propter Deum, praecipiente Christo Domino:[1]) „Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua, hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.“ Si dumtaxat simplex adhibeatur cereus, tunc figuratur S. Joannes B., de quo prophetizabat David[2]) rex: „paravi lucernam Christo meo“, sive alii prophetae praedicantes futurum Christi adventum, vel monet per legem divinam in s. Evangelio illuminari vias pedum nostrorum, dicitur enim: „Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant . . . Credite in lucem, ut filii lucis sitis.“[3])

Ascendente sacerdote cum s. Evangelio ad altare, chorus canit praescripta cantica, ipse vero interim dicit orationem secreto: „Deus sancte, qui in sanctis requiescis, qui ter sancta voce a Seraphim laudaris et celebraris et a Cherubin glorificaris et ab omni coelesti potestate adoraris, qui e nihilo ad esse cuncta adduxisti, qui hominem ad imaginem et similitudinem tuam creasti, et omni tuo dono exornasti, qui das petenti sapientiam et intelligentiam, et non de-

---

[1]) Matth. 22., 37., 39. — [2]) Ps. 131., 17.

[3]) Ioan. 12., 35., 36.

spicis peccantem, sed ei ad salutem posuisti poenitentiam, qui nos humiles et indignos servos dignatus es in hac hora stare ante gloriam sancti tui altaris, et quae tibi debetur adorationem et glorificationem exhibere: ipse etiam Domine, suscipe ex ore nostro peccatorum Hymnum ter sanctum et respice nos in bonitate tua, condona nobis omne peccatum voluntarium et involuntarium: sanctifica animas nostras et corpora et da nobis te in sanctitate colere, omnibus diebus vitae nostrae. Intercessionibus s. Deiparae et omnium sanctorum, qui tibi a saeculo complacuerunt." Alta voce populumque benedicendo: „Quoniam sanctus es Deus noster et tibi gloriam referimus: Patri et Filio et S. Spiritui nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen". Et nunc omnes, sacerdos, chorus ac fideles cantant ter sanctum Hymnum, τρισάγιον ὕμνον: ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς=: sanctus Deus, sanctus fortis sanctus immortalis, miserere nostri". Hymnus hic ter canitur, interim sacerdos tres reverentias facit coram altari, deinde procedit ad sedem pone altare positam dicens secreto: „Benedictus, qui venit in nomine Domini. Bendictus es super throno gloriae regni tui, qui sedes super Cherubim nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen."

Intentio orationis „Deus sancte, qui in sanctis requiescis" est: sanctissimum Deum, in sanctis sanctorum, seu in coelo habitantem, ibique a Cherubim ac Seraphim

continuis ter sanctis laudibus glorificatum permovere, ut fidelium quoque ter sanctum hymnum benigne suscipiat, quem hi coram majestate Ejus stantes ad imitandos angelos canere intendunt orante sacerdote: „Domine, suscipe ex ore nostro peccatorum Hymnum ter sanctum."

Hanc piam obtenturus intentionem provocat ad utrumque, — quos habuit Deus in homine creando finem, scilicet ad gloriam Dei ac beatitudinem hominis ac si diceret: en Domine hominem, quem tu ad imaginem similitudinemque tuam fecisti et cui per hoc tam excellentem sortem praeparasti, ut pro illa simul cum angelis bonis te perpetuo laudaret; nunc ex propria culpa impotens jacet in mari miseriarum, miserere ejus secundum magnam miserationem tuam. Patres plurimi distinguunt inter imaginem ac similitudinem, illam in donis naturalibus, hanc in supernaturalibus reponentes concluduntque: Adam quidem per peccatum amisisse similitudinem, quam habebat cum Deo, non autem Dei imaginem. Dicitur „omni dono exornasti", sub quibus intelliguntur ista eximia tum animae, tum corporis dona, quae in primo homine cum sanctitate ac justitia conjuncta fuerant et per quae homo in orbe corporeo minister et vicarius Dei est constitutus.

Fuit igitur in illo: 1. mens rerum tum naturalium, tum moralium cognitione abunde instructa;[1]) 2. voluntas nullis pravis affectibus vitiata, et nullis inordinatis motibus agitata;[2]) 3. corporis immortalitas[3]) et 4. demum vita omnis perturbationis ac miseriae expers.[4])

Ex dictis imago Dei non ad solam animam sed

---

1) Eccl. 17., 5.

2) S. August. Lib. 2. de peccato mort. et remiss. cap. 22.

3) Trid. Sess. 5. c. 1. de peccato originali.

4) S. Agust. lib. 14. de civitate Dei, cap. 26.

etiam ad corpus refertur, nihilominus cum isto discrimine, quod in anima imago Dei proprie atque proxime resideat, e contra in corpore nonnisi improprie ac remote, in quantum nempe anima in corpore residens illud suarum virtutum sive praerogativorum particeps reddit. Docente siquidem historia salutis homo primus abusus libertate sua transgressus est mandatum divinum et per id secum totum genus humanum a Deo avulsit atque in summam perniciem praecipitavit, quare donis supernaturalibus spoliatus et in naturalibus vulneratus est, quin tamen quidquam, quod ad essentiam naturae humanae pertinet, speciatim nimirum indolem rationalem ac moralem, seu liberum arbitrium amiserit, quemadmodum reformatores saec. XVI. delirabant. Nos Graeci firmiter contra illos propugnamus doctrinam catholicam, scilicet quod imago, quae in protoparentibus perfecta fuit, potuerit quidem obscurari ac deformari, seu perfectione exui, nequaquam autem prorsus tolli ac deleri, quippe quae deinde in plenitudine temporum renovata est a Redemptore, quocirca et hortatur nos Apostolus:[1]) „Renovamini spiritu mentis vestra et induite hominem novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis“, cujus renovationis media baptismus ac poenitentia sunt, utpote quae Deus, — prout oratio laudata meminit, — ad salutem nostram posuit.

Nulla frequentior, celebrior, aut majori devotione a Graecis usurpata oratio invenitur, quam τρισάγιος ὕμνος, quem quadam praedilectione in omnia divina officia ac preces privatas pluries inserunt. Nilus Junior[2]) scriptor saec. X. jam-jam moriturus lethi vinculo etiam lingua praepedita, semper illum pronunciare satagebat, prout

---

[1]) Ephes. 4., 23., 25.

[2]) Goar, o. c. p. 109.

discipulus Anonymus in ejus vita scriptum reliquit.[1]) Institutio ipsius ad tempora Patriarchae Procli revocatur et a Theophano martyre scriptoreque saec. VIII. et IX. in chronico sequenti refertur: „Sub sancto Proclo terrae motus facti sunt magni Constantinopoli per quatuor menses: ita ut timentes Byzantini extra civitatem in loco, qui dicitur Campus, cum episcopo precibus et litaniis ad Deum vociferantes perseverarent. Quadam ergo die fluctuante terra, et omni plebe intensius exclamante, Domine miserere, circa horam tertiam, omnibus videntibus contingit divina virtute sustolli quemdam adolescentulum, in aerem, (Lectorem quidam fuisse asserunt) et audiri divinam vocem admonentem eum, Episcopo et populo nunciaret; ut litanias sic facerent et dicerent, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus et immortalis; miserere nobis, nihil aliud apponentes. Sanctus autem Proclus hac suscepta sententia, praecepit populo sic psallere, et statim terrae motus cessavit."[2]) Luculenter patet itaque, nec Jacobum apostolum, nec. S. Basilium aut S. J. Chrysostomum illum primitus suis liturgiis inseruisse, sed aut Procli, aut alicujus posterioris aetatis opus dici debere.

Simeon Thessal. advertit: „Hymnus ter sanctus, qui mox sequitur, mysterium Trinitatis ostendit, quod incarnatio unius de Trinitate hominibus promulgavit. Praeterea hominum et Angelorum conspirationem atque consensum. Idcirco et intus a sacerdotibus et foris a clericis et laicis cantatur; quandoquidem per Christum ex angelis et hominibus Ecclesia una evasit".[3])

Hymnus hic teste S. Joanne Damasceno ex duobus s. scripturae locis compositus est; nempe 1. ex glorificatione Seraphica: „Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus

[1]) Goar, o. c. p. 109.

[2]) Ibidem. — [3]) Dmitrewskij, o. c. p. 413.

Sabaoth" et 2. ex verbis psalmi 41., versus 31.,: „Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum" i. e. immortalem. Duo ultima autem verba „miserere nobis" ab ecclesia sunt adjuncta, quemadmodum frequentissima conclusio orationum omnium publicarum.[1]) Sacerdos conversus ad populum, ut dicat: „Attendamus", „Pax vobis", „Sapientia",, „Attendamus", mystice designat Dominum respicientem Petrum.

Postquam sacerdos complevit Hymnum τρισάγιον, occupat solium pone altare positum ac solium superius = τὴν ἄνω καθέδραν" vocatum, non autem diaconi, siquidem sacerdos solus-interprete Thesal. Simeone — „Apostolicam gratiam et ut ille Evangelium publicet, adeptus est."[2]) Repraesentatur autem hac actione Mesias ut Rex, qui prius verbis Antiphonorum propheticis promissus, ulterius introductione evangelii solemni modo manifestatus et in fine hymno trisagion superexaltatus fuerat. Solium istud superius per id, quod pone altare collocetur, aptissimum est nobis in memoriam vocandi thronum gloriae Christi coelestem, de quo siquidem mentio quoque fit in illud occupante oratione verbis: „Benedictus es super thronum gloriae, regni tui", quippe qui thronus etiam invisibilis est. Super illum thronum residens sacerdos ipsum Christum in ejus gloria ac virtute repraesentat, nomine cujus et pronunciat: „Attendamus", „Pax vobis", „Sapientia", „Attendamus", respondente choro uno versu Psalterii προκείμενος, vocato, servienteque introductionis instar ad sequentem lectionem, ut per se patet, arcte cohaerentem cum intentione oblationis atque festo contingente. Versus προκείμενος, nomen suum habet a verbo προκείμαι proprie localiter: proponor, anteponor, a

[1]) Dmitrevskij o. c. p. 183.

[2]) Goar, o. c. p. 187.

vocibus προ=ante et κεῖμαι=jaceo, designatque symbolice inspirationem propheticam, qua vates illuminati praedicabant venturum Messiam, Verbum divinum. Προκείμενος vero proxime lecturum verbum divinum praenunciat.

Rursus dicente sacerdote „Sapientia“ et „Attendamus“, incipit lectio per cantorem, vel quemlibet honestum laicum, sacerdote interim benedicente incensum thuris oratione: „Incensum tibi offerimus, Christe Deus noster in odorem suavitatis spiritualis: nobis vicissim gratiam sanctissimi tui Spiritus repende: perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen“, simulque altare circum circa ac totum sanctuarium suffumigat. Cum vero completa fuerit lectio Epistolae, sacerdos exclamat: „Pax tibi“, „Sapientia“, „Attendamus“ et choro: „Alleluja“ respondente jam incipit intonare lectionem s. Evangelii dicens: „Sapientia“, „Recti“, „Audiamus sanctum Evangelium“. „Ex Evangelio v. gr. s. apostoli ac evangelistae Matthaei lectio“. Chorus: „Gloria tibi Domine“, quod idem et in fine Evangelii respondetur.

„Attendamus“=προσῶμεν, est provocatio ad defigendas cogitationes in statim nobis proponendam, sapientiam divinam, tum verbis, tum typice manifestandam.

„Pax omnibus“=εἰρήνη πᾶσι, originem a labiis Salvatoris, sic salutantis discipulos ducit, quique sicut et posteri eorum hocce exemplum laudabiliter imitati sunt, ac conservaverunt. Sensus idem ac si diceret sacerdos, infundat vobis Deus gratiam devote mecum orandi et sacra verba digne ac salubriter audiendi, sicut olim apostoli Christum pacem eis praedicantem[1]) audierunt. Dici-

[1]) Ioan. 20., 19.

tur. „Omnibus“ loco „vobis“, quia explicante S. Joanne Chrysostomo, nulla utilitas, si tantum cum aliquibus et non cum omnibus pax habeatur.[1])

Quoad vocem „Sapientia“=σοφία, hac uti supra indigitavimus, jubentur fideles non socorditer atque oscitanter, sed cum attentione adstare sacrificio Missae, porro hoc verbo simul sapientia in mentem revocatur, cum qua oportet ad mysteria accedere ac mentem adhibere, quaeque ex lectione verbi divini refulget.

Alleluja, uti communiter notum, vox origine sua hebraica est, composita ex secunda persona pluralis imperativi formae Piel, verbi הִלֵּל (hillel)=laudavit et nomine divino יָהּ (jah); ergo: הַלְלוּיָהּ = idem est ac celebrate Jehovam, graece: αἰνεῖτε τόν Κύριον. Quia propriam excellentiam et principalem vim ac emphasim habet, non vertitur in aliam linguam, sed relinquitur in originali sua forma hebraica, observante enim: Bona: „Illud advertendum, multo majorem vim apud Hebraeos habere hanc vocem Alleluja, quam apud Latinos „Laudate Deum“; hoc est enim exhortantis vel excitantis ad Deo laudes reddendas: at Alleluja vim potius habet interjectionis, quam verbi et vehementem sonat affectum acclamantis prae gaudio et ex laude Dei exsultantis atque in jubilum vocemque laetitiae erumpentis.[2]) Haec vox angelica[3]) revera jam in hac terra cunctas orbis terrarum nationes linguasque in unum chorum unit, similem ei, quem istae in vita futura constituturi sint. Canitur vero Alleluja ter ad indicandum, sic unum Deum in Trinitate agnosci, quemadmodum Trinitatem in Unitate venerari, neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

---

1) Dmitrevskij, o. c. p. 194.

2) De divin. Psalm. c. 16. §. 7., n. 7.

3) Tob. 13., 21—22.

Epistolae lectio — quemadmodum ex apostolorum scriptis (epistolis) vel actibus extracta — communiter in ecclesia nostra Ἀπόστολος audit atque apostolorum a Christo vocationem indicat; praepositio ejus autem ante Evangelium indigitat: Christum ubique prae se apostolos misisse, unde sequitur, per subsequentem Evangelii lectionem ipsum Christum repraesentari. Anteponitur vero in ordine, quod inferius est dignitate, ut ex minoribus animus audientium ad majora sentienda proficiat et gradatim ab imis ad summa conscendat. Legendo Evangelio anteponuntur accensi cerei in signum exinde reduntantis verae lucis, collustrantis mentes et implentis gaudio corda nostra. „Evangelium" designat laetam, bonam annunciationem, quia maxima, scilicet coelestia, spiritualia ac aeterna annunciat bona estque lectio ejus momentum liturgiae catechumenorum splendidissimum. Unde monet S. Augustinus:[1]) „Os Christi Evangelium est. In coelo sedet, sed in terra loqui non cessat".

Completa s. Evangelii lectione chorus in nomine totius gregis fidelis gratias agit Deo canens: „Gratias tibi Domine", decet enim pro divina doctrina, per os vicarii Dei nobis manifestata gratos nos reddere. Graeci paucis exceptis lectionem s. Evangelii imo totum divinum offfcium lingua vernacula, vel huic non aliena exhibent, cum quodlibet verbum divinum velut cibus coelestis ad alendam animam existat: nec non quia s. scriptura omnibus ceteris libris magis apta est „ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus".[2]) Per lectionem s. scripturae sacerdotes plantant, rigantque agrum cordis nostri; singula

---

[1]) Sermo 85. n. 1.

[2]) II. Tim. 3., 16., 17.

verba velut semina coelestia sunt, conferentia fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.[1])

Nihilo tamen minus non est inter catholicos dubium, quin hoc solummodo ex singulari Summi Pontificis consensu obtingere possit et non secus, ut patet ex epistola Joannis VIII. ad Methodium,[2]) in qua repetit austerum interdictum vetans usum linguae slavicae liturgicum Hadriani II. dicens: „Jam literis nostris per Paulum Ep. Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua (sclavica) sacra Missarum celebrares," quod idem Pontifex — exaudito Methodio Romam vocato — teste epistola ejus ad Svatoplucum[3]) principem Moraviae clementer deinceps ratum habuit, ut sequitur: „Literas denique slovenicas a Constantino quondam philosopho repertas, quibus Deo laudes debitae resonent, jure laudamus et in eadem lingua Christi D. N. praeconia et opera ut enarrentur jubemus. Neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis Dominum laudare auctoritate sacra monemur, quae praecipit dicens: Laudate Dominum omnes gentes et collaudate eum omnes populi. Et Apostoli repleti Spiritu S. locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc et Paulus coelestis quoque tuba insonat monens: Omnis lingua confiteatur, quia D. N. J. Chr. in gloria est Dei Patris . . . Quoniam qui fecit tres linguas principales hebraeam scil. graecam et latinam, ipse creavit et alias[4]) omnes ad laudem et gloriam suam."

[1]) Matth. 13., 8.

[2]) Hergenröther, Photius, t. 2. pp. 618. 624., nn. 10. et 132.

[3]) Ibidem, t. 3. p. 207.

[4]) Erant autem multi alii homines, qui blasphemabant slavonicas litteras, loquentes: Dedecet ullum populum habere libros hos, nisi hebraeos, graecos latinosque secundum titulum Pilati, quem in cruce Domini scripsit. Quos Papa Pilaticos et trilingues nominans damnavit et mandavit Episcopo cuidam, qui eodem morbo laboraverat, ut ordinaret ex discipulis slovenicis tres presbyteros et duos lectores. Vita Meth. c. 6.; Hergenröther Photius t. 3. p. 227.

Sane ex iisdem ubique in oriente motivis adhibitae sunt variarum nationum linguae ad cultum liturgicum, quae in hac sua epistola modo laudatus Summus Pontifex expressit, utique cum semper SS. Sedis Romanae approbatione.

Basilovics[1]) desuper non penitus exquisite tractat. Post Evangelium sermo ad populum habetur.

Sacerdos reversus cum s. Evangelio ad altare incipit dicere collectas, ob debitum praecipui hic fervoris adhibendi: intensiores ἐκτενεῖς quoque nuncupatas, respondente ad singulas choro: „Domine miserere", et quidem ad duas primas semel, ceteras vero ter, quare et ἐκτενεῖς duplicatae appellantur. Rationem earum Cabasilas[2]) sequenti aperit modo: „Quamnam autem orationem ab omnibus maxime fieri convenit post Evangelium nisi pro iis, qui servant Evangelium, qui imitati sunt benignitatem et humanitatem Christi, qui per Evangelium significatur". Sensus ex hucusque dictis clare liquet. Sonant, ut sequitur: Sacerdos: „Dicamus omnes ex tota anima et ex tota mente dicamus." Chorus: „Domine miserere." Sacerdos: „Domine omnipotens, Deus Patrum nostrorum, te rogamus, exaudi et miserere." Chorus ter: „Domine miserere." Sacerdos: „Miserere nostri Deus secundum magnam misericordiam tuam, te rogamus exaudi et miserere." Chorus ter: „Domine miserere" Sacerdos: „Etiam rogamus pro rege nostro (N) rectae fidei, pro potentia, victoria, perseverantia, pace, sanitate et salute ejus atque dimissione peccatorum ejus et ut

---

1) Brevis Not. Fund. Theod. Koriatovits p. II. pp. 73., 74.

2) Goar. o. c. p. 112.

Dominus Deus noster abundantius eum adjuvet et in omnibus dirigat et pedibus ipsius subjiciat omnem inimicum et hostem.“ Chorus ter: „Domine miserere.“ Modo sacerdos dicit secreto orationem: „Domine Deus noster protensam hanc suplicationem suscipe a servis tuis et miserere nostri secundum multitudinem misericordiae tuae et miserationes tuas in nos dimitte et in omnem populum tuum, qui copiosam a te misericordiam exspectat.“ Similiter ulterius alta voce orat pro episcopo, praepositis spiritualibus et cunctis in Christo fratribus, pro benefactoribus Ecclesiae atque omnibus hominibus adstantibus, abundantesque gratias exspectantibus, ad singulas choro „Domine miserere“ respondente, quas dein completas includit cum ecfonesi: „Quoniam misericors et benignus Deus existis et tibi gloriam referimus, Patri et Filio et Spiritui S. nunc et semper et in saecula saeculorum.“ Chorus: „Amen.“

Nunc sequuntur dimissiones catechumenorum etiam in forma ἐκτενῆς exhibitae, ad singulas harum choro iterum „Domine miserere“ respondente. In prima inquit sacerdos: „Rogate catechumeni Dominum.“ Chorus: „Domine miserere“. Prius ergo catechumeni ipsi admonentur, ut orent pro semetipsis, siquidem quod adprime congruum est ordini recto nam dicente S. Augustino: „Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te;“ in secunda autem ἐκτενῆ fideles invitantur ut orent pro catehumenis juxta illud:[1]) „Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere“,

[1]) Rom. 15., 1.

unde dicit sacerdos: „*Fideles oremus pro catechumenis, ut Dominus eorum misereatur.*“ Chorus: „*Domine miserere.*“ Juxta S. Joannem Chrysostomum his relatio indicatur ad orationem „Pater noster“ ab eo „orationem fidelium“ appellatam, quam catechumeni non permittebantur orare, ait enim: „Nondum enim lege sancitam atque a Christo invectam precationem habent,“[1]) et iterum: „Deinde adjecta fidelium oratione, veluti quadam coronide et pro omnibus colligatione, facta prece, hic cessabat.[2]) Porro sacerdos memor, quibus indigeant catechumeni, continuat hortari fideles ad orandum dicens: „*Instruat eos, verbo charitatis.*“ (In slavica versione veritatis.) Chorus: „*Domine miserere,*“ quam explicat sequens: „*Revelet eis Evangelium justitiae.*“ Chorus: „*Domine miserere*“; Evangelium siquidem, seu fides Christi non solum remissionem peccatorum in Baptismo ab illis operatur accipiendam, sed per effusionem gratiae Spiritus S. justitiam quoque, cui cooperando justi perseverare possunt, quia ut S. Agustinus[3]) observat: „Esse potest justitia Dei sine voluntate tua, sed in te esse non potest, nisi per voluntatem tuam.“ Sacerdos: „*Uniat eos sanctae suae catholicae et apostolicae ecclesiae*“. Chorus: „*Domine miserere*“. Ratio est, quoniam alieni sunt adhuc utpote catechumeni et non membra mystici corporis Christi. Quare ulterius orat sacerdos. „*Salva, miserere, suscipe et custodi ipsos Deus tua gratia.*“ Chorus: „*Domine miserere.*“ In fine dimittendi admonentur: „*Catechumeni capita vestra Domino inclinate.*“ Chorus: „*Tibi Domine*“

[1]) Hom. 2. in. ep. 2. ad. Cor.

[2]) Hom. 10. in. ep. ad Coloss.

[3]) Sermo 15. de verbis apostolicis.

atque sacerdos super inclinatis profert orationem secreto: „Domine Deus noster, qui in altis habitas et humilia respicis, qui salutem humano generi emisisti filium tuum et Deum, Dominum nostrum Jesum Christum: respice ad servos tuos catechumenos suam tibi cervicem inclinantes, et dignos facias eos in tempore opportuno lavacro regenerationis, remissione peccatorum et indumento incorruptionis. Uni eos sanctae tuae catholicae et apostolicae ecclesiae et connumera ipsos cum electo tuo grege". Alta voce: „Ut et ipsi nobiscum glorificent venerandum et magnificum nomem tuum Patris et Filii et Spiritus S. nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen."

Agitur hic de sacramento Baptismi tamquam: lavacro regenerationis, quod catechumeni digne suscepturi, continuo a catechetis instruebantur. „In Baptismo enim — quemadmodum Hugo a. S. Victore[1]) ait, — fit remissio omnium peccatorum, datur virtus bene operandi et in bono proficiendi et in profectu perseverandi" quod idem et oratio nuper exposita, ast prolixius dicit.

His perficiuntur orationes communes ac catechumeni jam ad discedendum provocantur exclamatione: „Quotcunque catechumeni estis, recedite. Chatechumeni recedite. Quicunque estis catechumeni, recedite. Ne quis catechumenorum supersit. Quiqunque fideles etiam atque etiam Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere." Quibus auditis juxta

1) In annot. super ep. ad Romanos, 4., 4.

antiquam disciplinam ecclesiae catechumeni saltem graduum inferiorum et obsessi tenebantur coetum fidelium tamquam indigni aspectu audituque divini ac tremendi arcani relinquere, remanentibus solis fidelibus, imo plerumque etiam competentibus, seu electis sic vocatis, cum ad Baptismum proxime accipiendum mature eligerentur; graece: βαπτιζόμενοι, φωτιζόμενοι, atque consistentibus (συσταντες), qui scilicet in quarto gradu publice poenitentium constituti fuerant. His ultimis classibus catechumenorum ac poenitentium integro cultui divino assistere permittebatur, quin offerre vel corpus domini cum ceteris fidelibus accipere iis licitum fuisset.[1]) Ast cum hodie non jam inveniantur in ecclesia catechumeni, neque publice poenitentes, quaestio oritur, quare legantur orationes pro catechumenis et hi, ut olim solemniter dimittantur? Respondemus dicendo: quamvis nostro tempore non habeat ecclesia catechumenos in sensu proprio sumptos, neque poenitentes poenitentiam publicam agentes, quemadmodum antiquitus, habet tamen illa ubique his pares. Quid enim sunt pagani, verbum Dei a missionaribus audientes, nisi catechumeni fideliter exspectantes susceptionem in ecclesiam Christi? Imo sporadice in territoriis nostris quoque inveniuntur tales, in personis nimirum Judaeorum, baptismum Christi suscipere cupientium. Hi omnes juste queunt antiquis catechumenis aequiparari. Quod vero exclamationem „catechumeni recedite“ attinet, procul dubio non potest negari, etiam hodie inter fideles multos inveniri, qui audientes supra laudata verba, illa sibi applicare tenerentur, atque prout antiquitus illi indigni, recedere ab ecclesia. Quales sunt praecipue inpoenitentes, libidinosi, aliique lethali peccato onerati, qui proclamata adhortatione „catechumeni recedite“, funiculo Christi

1) S. Dionysii Areop. de eccl. hier. c. 3.

deberentur ecclesia expelli, ut-ut obliviscentes admonitionis Salvatoris: „Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?“[1]) Additur „ne quis catechumenorum supersit“, quatenus hi utpote adhuc solummodo initiati, nequaquam possunt subsecuturi mysterii profunditatem percipere, habent se enim instar lusciosorum, qui non possunt lucem intensiorem eo minus solem aspicere, nec non infantium solo lacte alitorum, quibus proinde cibus durior noceret. Huic nimirum illi pedetentim assuefiant necesse est, cum quilibet praeceps transitus ex ima conditione in alteram in homines exerceat impressionem nocivam ac status, ad quem non fuimus sufficienter praeparati, non suppeditat nobis optatam tranquillitatem animumque contentum. Hujusmodi principia duxerant et ecclesiam in instituendo: catechumenos in audiendo ss. mysterio altaris impediendos esse coetuque fidelium exituros.[2])

Egregie sciscitatur et dein disserit jam pluries laudatus Murawjew hoc thema in tertia sui operis[3]) epistola dicens: „Aber bedenke doch, wie fiele sind nicht unter uns, die in den christlichen Glauben eingeführt wurden, ohne dass sie glaubten, wie fiele zum Heile geladen, ohne dass sie darnach gingen. Umsont wurde sich die Kirche bemühen, die Herzen derselben durch ihr Flehn zuerweichen, durch das Wort Gottes zuerschüttern. Sie haben Ohren, und hören nicht, Augen und sehen nicht, und stürzen ihrem Verderben zu, als einen sichern, ihm von der Hand des Todes bereiteten Mahle, und wenden sich ab von der geistlichen Tafel, die der Erlöser ihnen bereitet durch Mittheilung seines eigenen Leibes

1) Matth. 22., 72.
2) Novaja skrizsaly, p. 7. §. 26.
3) Muralti o. c. p. 18.

und Blutes, indem er ihnen zuruft: „Kommet her zu mir alle, die ihr mühselig und beladen seid: ich will euch erquicken.“[1]) „Doch, was sprech' ich von andern? Blicken wir auf uns selbst. Sind wir nicht Anfänger, Katechumenen? Was sagst Du? Wir bekennen doch Christum. Ja, allein geschicht es nicht so oft bloss mit den Lippen? Sind unsere Worte besser, als die der Heiden? Aber nach den Worten der Schrift ist der Glaube ohne Werke todt. Nein, mein Freund, mit Zittern senke ich das Haupt beim Rufe des Diakons: „Katechumenen senket eure Häupter vor Gott,“ worauf sie aus der Kirche geschickt werden solten, und flehe in diesem Augenblicke für mich, wie für andere, dass wir nicht hinausgetrieben werden aus dem Himmelreiche durch die furchtbaren Boten des Herrn, wie die Katechumenen durch den Diakon aus der Kirche getrieben werden und wenn er dann wieder nur die Glaubigen zum Gebete ruft, weisst Du, dass ich es dann kaum sogleich wage zubeten.“ Sequitur ergo ex relatis, praelaudata verba hodie finem habere in nobis sensus humilitatis ac gratitudinis erga Deum suscitandi, utpote benigne disponentem, ut etiam nos indigni ss. ejus mysteriis adesse queamus. Est itaque ratio ambarum, scilicet et orationis et dimissionis catechumenorum, quae ultima interprete Simeone Thessalonic.[2]) tempus consummationis repraesentat, ait enim: „Postquam praedicatum fuerit Evangelium in toto mundo, tunc veniet consummatio. Cum in fine miserit angelos suos, inquit, et separaverit malos de medio justorum. Hoc et ecclesia agit, — dum clamans catechumenos exire, — fideles tantum remanere praecipit.“

[1]) Matth. 11., 28.

[2]) Goar o. c. p. 188.

Cum dimissione catechumenorum solvitur liturgia eorum, quae uti experti sumus, specialiter instructivum prae se fert characterem, atque illico incipit missa fidelium characterem κατ᾿ἐξοχήν sacrificialem habens. Notare juvat, quod completa liturgia catechumenorum, aliquando confestim diaconi virorum, subdiaconi autem mulierum stationis portas occupaverint. Exinde ortum Constitutionum Apostolicarum praeceptum: „Diaconi stent ad Januas, quibus viri in templum ingrediuntur et subdiaconi ad Januas, quibus mulieres, ne fidelis quisquam egrediatur, vel aperiatur Janua, tempore oblationis.“ Totaliter consono modo scribit in assignandis rationibus Matthaeus Blastares O. S. Basillii M. graecus canonista saec. 14. dicens: „Ecclesiae fores observat Minister, ut Catechumenos et Poenitentes inducat et educat, propterea etiam apud eos illud ὅσοι πιστοί canitur. State videlicet sanctum sacrificium visuri: exite autem, quotquot non estis initiati et expiati“.[1])

12. §.

Missa fidelium.

Ejectis catechumenis et quibusvis aliis, quos severior ecclesiae disciplina oblationi adesse non sinebat, clausisque templi januis, ne quis efferre pedem vel inferre posset, incipiebat liturgia fidelium et quidem nuper prolatis et cum dimissoria catechumenorum ἐκτενῇ conjunctis verbis adhortativis: „Quicunque fideles etiam atque etiam Dominum precemur.“ Chorus: „Domine Miserere“, quae sequitur prima fidelium oratio, postquam expansum est corporale, quam sacerdos dicit secreto: „Gratias agimus tibi Domine Deus virtutum, qui dignatus es nos etiam

[2]) Goar o. c. p. 188.

nunc sancto tuo altari sistere et tuis miserationibus pro peccatis nostris et populi ignorantiis procidere. Suscipe Deus deprecationem nostram. Fac nos esse dignos, qui offeramus tibi preces supplicationes et incruenta sacrificia pro toto populo tuo: et fac nos idoneos, quos in hoc ministerio posuisti, ut in potestate Spiritus tui sancti inculpate et innoxie, in puro nostrae conscientiae testimonio te invocemus in omni tempore et loco, ut nos exaudiens, sis nobis propitius in multitudine tuae bonitatis" completque alta voce cum ἐκτενῇ: „Suscipe, salva, miserere et conserva nos Deus, tua gratia" Chorus: „Domine miserere", concludens primam orationem alta voce: „Sapientia. Quoniam tibi convenit omnis gloria, honor et adoratio, Patri et Filio et Spiritui S. nunc et semper et in saecula saeculorum". Chorus: „Amen."

Corporale a Christi corpore continendo sic appellatum, est linteum, cui discus et calix superponitur, graece: εἰλητὸν, ἀπὸ τοῦ ἐνειλεῖν=implico, involvo (ab ἐν et εἰλεῖν=volvo, verso) dicitur. Occurit in n. testam. Marc. 15., 46. ἐνείλησε τῇ σινδόνι=involvit ipsum illa sindone, quocirca explicat S. Germanus;[1]) „Corporale significat linteum, in quo corpus Christi e cruce depositum et in monumento repositum, est involutum." Opinante Angelico,[2]) corporale tum linum, quod Christo infanti adhibebatur, tum sindonem, qua corpus ejus mortuum involutum fuerat, designat, ait enim: „Panni in quibus

---

1) Goar o. c. p. 112.

2) S. Thomae, IV. dist. 13. q. 1. a. 2. sol. 3. ad. 3.

corpus Christi consecratur, repraesentat sindonem mundam, qua corpus Christi involutum est et ideo sicut illa linea fuit, ita non licet nisi in pannis lineis corpus Christi consecrare. Linum etiam competit huic sncramento et propter puritatem, quia ex eo panni candidissimi et facile mundabiles fiunt et propter multiplicem tunsionem lini qua paratur ad hoc, ut ex eo fiat pannus candidus, quae competit ad significandam passionem Christi; unde non deceret de pannis sericis corporale et pallas altaris esse, quamvis sint pretiosores, neque de panno lineo tincto, quamvis sit pulchrior".

Modo sequitur oratio fidelium secunda, cui pariter praemittitur ἐκτενή: „Etiam atque etiam Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere", quod dum canitur, sacerdos inquit secreto orationem: „Iterum et saepius coram te procidimus et te rogamus bone et benigne, ut respiciens ad orationem nostram, purges animas nostras et corpora ab omni inquinamento carnis et spiritus et des nobis inculpatam et incondemnatam sancto tuo altari assistentiam. Largire autem Deus etiam iis, qui nobiscum una precantur, profectum vitae et fidei et spiritualis prudentiae. Da eis, qui te assidue et cum tremore colunt, ut inculpate et incondemnate tuorum sanctorum sacramentorum fiant participes et coelesti tuo regno digni habeantur", quam similiter priori, eadem ἐκτενῇ complens, dicit ecfonesin: „Sapientia. Ut a potentia tua jugiter custoditi tibi gloriam referemus Patri et Filio et S. Spiritui nunc et semper et

in Saecula saeculorum." Chorus: „Amen." Sacerdos ultima verba proferendo ad populum se convertit, benedicitque illum cum dextera in signo crucis.

Hic iterum prona est quaestio, cur sacerdos tot orans juxta altare, in prima oratione gratias agit Deo, quod dignatus sit eum sancto suo altari sistere? Respondemus. Apud veteres christianos liturgia catechumenorum non intus, sed extra sanctuarium perficiebatur, quod usque ad orationes fidelium clausum manserat, ergo sacerdos dumtaxat dimissis catechumenis potuit se altari sistere, cujus antiquae consuetudinis memoriam conservatura, jubet ecclesia corporale in initio missae fidelium pandere; episcopum vero celebrantem manus lavare.

Harum precum prima olim in silentio, secunda vero et tertia διά προσφωνήσεως per proclamationem recitabatur, rationem cujus Imp. Justinianus[1]) in sequenti refert: „Ad haec jubemus omnes Episcopos et Presbyteros non in secreto, sed ea voce, quae a fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem et precationem, quae fit in sancto Baptismate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem et Dei laudationem efferantur. Sic enim et divinus apostolus docet dicens in priora ad Corinthios epistola: „Caeterum (inquit), si solum benedicis spiritu, is, qui idiotae locum implet, quomodo tuae gratiarum actioni subjiciet Deo sanctum illud Amen, si quidem quid dicas, non novit: tu autem pulchre gratias agis, sed alius non aedificatur. Et rursus in ea, quae est ad Romanos, sic dicit, corde quidem creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Idcirco igitur convenit, ut ea precatio, quae in sancta

1) Init. cap. 6. Nov. 137.

oblatione dicitur et aliae orationes cum voce a sanctissimis Episcopis et Presbyteris proferantur Domino nostro Jesu Christo, Deo nostro, cum Patre et Spiritu S. sciturís religiosissimis sacerdotibus, quod si quid horum contempserint et horrendo Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi judicio rationem reddituri sint et nos ista cognoscentes non relinquemus quieta et inulta."

Novella haec simul triste illius documentum est servitutis, cujus vincula hodie quoque ecclesia disunita orientalis portat, misere sub Caesaropapismi onere patiens.

Completam fidelium secundam orationem subsequitur ὁ χερουβικός ὕμνος S. Justini, sonans: „Qui Cherubim mystice repraesentamus et vivificanti Trinitati ter sanctum hymnum afferimus, omnem nunc mundi vitae sollicitudinem deponamus", cui Muravjeff[1]) sequentem annectitur observationem: „Dieser Ausdruck des Einhertragens auf Speeren (Doryphoria) wird Dir auffallen; er entspricht aber vollkomenn dem Bilde, welches Justin angewendet hat: Die römischen Soldaten hoben nämlich den neu erwählten Imperator auf einen Schild, und trugen ihn mitten durch die Legion, so dass er über ihren Speeren einherschwebte. Dieses Bild wird auch in der Kirche wiederholt, indem der Diakon nach den Worten: „Legen wir ab jede sorge des Lebens", wie einer aus der ansichtbarer Legion der Engel erscheint, auf dem Diskos, wie auf einem Schilde, den höchsten Herrscher in der bescheidenen Gestalt eines Lammes tragend." Ejus autem cantandi primam institutionem ad Justini caesaris tempora (saec. VI.) revocat Cedrenus scribens: „Eo imperante ut cherubicus hymnus decante-

[1]) Muralti o. c. p. 19.

retur, sancitum est." Institutus est vero, quia ut meminimus, in antiqua adhuc ecclesia finitis fidelium orationibus clerici ad πρέϑεσιν pro offerendis donis proficisci debebant. Ut ergo fideles ipsis absentibus in piis cogitationibus ac devotis sensibus exercitarentur atque ad dona digne salutanda praepararentur, ordinatus est hymnus hic cantandi, qui cherubicus non solum ab initialibus verbis „Qui Cherubim", vocatur, sed magis ideo, quia profunda compositione sonoraque melodia adhortatur atque allicit fideles: ad uniendum cum cherubis canticum suum interprete S. Germano: „Cherubicus Hymnus dum canitur, hinc usque ad finem sacrificii, omnes majore studio ad componendam animi attentionem adhortantur, cura hujus vitae deorsum abjecta; utpote qui magnum regem per communionis mysterium sint accepturi"[1]). Quoad textum hujus hymni, recte exprimitur in illo nos Cherubim repraesentare, continuo glorificantes Deum hymno: „Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus Sabaoth", cum asserente Dionysio Areop.[2]) ecclesiastica Hierarchia typus sit coelestis Hierarchiae, decet itaque illi hanc in exaltatione Dei imitari. Per adhortationem vero „omnem nunc mundi vitae sollicitudinem deponamus", admonemur: passiones pravas ac inordinatas refrenare juxta illud: „Considera ubi sis, quid egeris, vide, etc.[3]) Nihil igitur cogitemus de divitiis honoribusque hujus mundi, neque de aliis illicientibus rebus ac occupationibus, utpote quae omnia vana sunt, sed haec cuncta contemnamus, ut eo dignius regem coelestem mox sub speciebus oblati appariturum, simul cum angelis salutare queamus. Admonemur sollicitudines mundanas, vanas extra reliquere,

---

[1]) Goar o. c. p. 113.

[2]) Dion. Areop. o. c. cap. 1. §. 5.

[3]) S. August. super ps. 145. vers. 5.

quoniam ut inquit S. Gregorius M. (Hom. 15. super Evang.): „Sollicitudines et voluntates terrenae importunis cogitationibus suis, guttur mentis strangulant et dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant.“

Secundum hodiernam disciplinam sacerdos, dum hymnus cherubicus cantatur, dicit secreto orationem testificante Theodoro Balsamone Patriarcha Antiocheno a S. Basilio M. compositam: „Nullus eorum, qui carnalibus cupiditatibus et voluntatibus est irretitus, dignus est ad te accedere, vel appropinquare, vel tibi ministrare, Rex gloriae. Tibi enim ministrare magnum est et vel ipsis coelestibus potestatibus terribile. Sed tamen propter inenarrabilem et infinitam tuam benignitatem, citra commutationem et conversionem homo factus es et noster Pontifex appellatus et hujus solemnis et incruenti sacrificii consecrationem nobis tradidisti, tamquam Dominus omnium. Tu enim Domine Deus noster, solus coelestibus dominaris. Qui super thronum Cherubinum veheris. Qui es Dominus Seraphim et Rex Israel. Qui solus sanctus es et in sanctis requiescis. Te ergo deprecor, qui solus bonus es et lubenter exaudis, respice in me peccatorem et inutilem servum tuum: et purga animam meam et cor a conscientia mala et fac me idoneum virtute S. tui Spiritus, indutum gratia sacerdotii, ut huic sanctae tuae mensae assistam et tuum san-

ctum et immaculatum corpus et pretiosum sanguinem cosecrem. Tibi enim inclinata cervice supplico et te rogo, ne avertas faciem tuam a me, nec me servum tuum rejeceris: sed dignare, ut a me peccatore et indigno servo tuo haec dona offerantur. Tu enim es, qui offers et offereris, assumis et distribueris, Christe Deus noster: et tibi gloriam referimus, una cum principii experte tuo Patre et sanctissimo et bono et vivifico tuo Spiritu nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen".

Completa hac oratione suffumigat altare ac sanctuarium populumque interim Ps. 50. recitando, dein reversus ad locum pristinum ipse quoque manibus in crucem actis totum hymnum cherubicum ter pronunciat, totidem humiles inclinationes faciens atque osculata cruce manuali in altari sita, una cum thuribulo ad propositionis mensam procedit et postquam hic sancta iterum suffumigavit, thuribulum servo tradit, ipse autem „Aerem" in sinistrum brachium accomodando, sumit sinistra manu calicem velatum, dextera autem discum etiam velatum facitque cum his sic vocatum introitum magnum, consitentem in translatione sanctorum donorum a πρόθεσι trans portam diaconicam atque regiam ad altare in concomitantia cereorum incensorum pulsationisque campanularum. Toto autem hoc introitu durante orationem alta voce fert: „Summi pontificis (N), rectae fidei regis nostri (N) cum toto illius palatio et Christum amantium militum ejus, devoti episcopi nostri (N) ac totius ordinis sacerdotalis diaconalis-

que ac servitii ecclesiae, atque omnium vestrum orthodoxorum christianorum memor sit Dominus Deus in regno suo nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen" subitoque continuat interruptum hymnum cherubicum: „Ut omnium Regem ordinibus angelicis invisibiliter stipatum suscepturi. Alleluja", sacerdos vero ascendit cum sanctis donis ad altare, ita ibidem collocans illa, ut discus a dextera, calix autem a sinistra parte fiat in deponendo pronuncians orationem secreto: „Decorus Joseph cum de ligno illibatum corpus tuum deposuisset, sindone munda et aromatibus involutum in monumento, justis factis, locavit", secundum aliam editionem[1]) „in momento novo sepeliens, deposuit", quemadmodum in liturgico Leopoliensi quoque invenitur. Tum et „Aerem" de brachiis tollens, cooperit illo sancta dona suffumigatque dicens: „Benefac Domine in bona voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Jerusalem. Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationis et holocausta; tunc imponent super altare tuum vitulos."

Vulgaris mos est fidelium nostrorum cantoribus adhuc hymnum cherubicum canentibus, Regem omnium invisibiliter ordinibus angelicis stipatum inclinatis genubus, imo in quibusdam locis etiam pedibus dona ferentium se substernendo exspectare, et quod adhuc magis est

1) Ἡ ΘΕΙΑ ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑ ΤΟΥ ΕΝ ἉΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ἩΜΩΝ ΙΩΑΝΝΟΥ τοῦ ΧΡΥΣΟΣΘΟΜΟΥ. ἘΝΕΤΙΗΣΙ, αψξ, ζ'. 1766. p. 21.

commovens, cuncti fervide precantur, vel se celebrantium orationi commendant, vel quod frequentius est, Christum ceu praesentem, latronis in cruce poenitentis vocibus: „Κύριε μνήσθητί μου, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου," alloquuntur. Hunc ritum cultumque ss. donorum multi insolitum commendant alieni, quinimo uti nos quoque experti sumus, etiam fratrum a multis vituperatur, utpote qui rebus a prophano quidem usu separatis, ast nequaquam adhuc cultu latriae dignis, venerationem exhibet non competentem nisi personae divinae atque tali modo quamvis involuntarie ansam praebeat rudi plebi scandalum idololatriae comittendi, quippe quae ob insolitam pompam celebremque solemnitatem in ritu, sub elementis Christum jam adesse putat ac Eum ut praesentem colendum persuadetur.

Ex tota nuper prolata objectione primo aspectu liquide injusta rei exaggeratio apparet, siquidem quae magis in prurigine contrariandi, quam in seria persuasione nititur. Nos sine timore errandi audemus asseverare, hujusce modi opprobrium autumantes indubie crassam suam de religioso pupuli nostri zelo ignorantiam prodere, quatenus exposita devotio ad summum praecipitata potest dici, ast tamen non sine ullo fundamento praeveniens consecrationem mox secuturam, cum res, seu rectius ss. dona jam antecedenter Deo dedicata sint et praecipue panis propter imaginem, vel crucem ipsi insculptam et in genere utraque species dein in Ipsum sunt transmutandae; ergo distincto quopiam honore justissime afficiuntur. Ceterum obveniente tali scandalo procul dubio neque officium dioecesanum, cui cura puritatis fidei cultusque divini in primis commissa est, si desuper serio fieri posset sermo, sineret tale etiam dictu horribile flagitium impune grassari.

Ex natura rei sequitur ulterius, quali circumspectione cautioneque opus sit in procedendo tanti momenti rei, ut corrigatur nimirum, quod abundat, quod vero aequum, laudetur, cum nusquam sit exstinguenda devotio nec cultus ille externus omnino reprimendus. Etenim ad munus sacerdotum docendi pertinet, ut excessum et superfluam honoris copiam, ubi advertitur, reprimere, corripere et omni studio praepedire conentur atque ineruditam plebem de vera ecclesiae mente in hoc ingressu ac veneratione ingressus socia edoceant, nec ulla conditione conniveant errori circa tantam rem, siquidem qui susceperunt officium alios docendi atque illud negligenter implent, damnum quod ex negligentia intulerunt, vel inferunt, reparare tenentur; ideo enim beneficium accipiunt, ut se utiles Dei populique ministros praebeant. Denique extollerre juvat in cultu isto animoso non corporis gestus, sed animi demissio, non apparens humilitatis specimen, sed interna fidei agnitia ac secreta religionis affectio pensanda est. Haec est recta mensura illorum actuum venerationis. Pulchre interpretatur cultum populi nuper exhibitum Simeon Thess.[1]) dicens: „Inclinant autem atque etiam in genua procumbunt fideles omnes ante sacerdotes ac jure quidem: parim ipsorum preces et sui in missa memoriam cogitantes, partim divina dona venerantes. Quamquam enim sacrificata nondum sunt, in altari tamen propositionis Deo dicata fuere: et sacerdos illic ea Deo obtulit et in sublime altare deportari acceptarique precatus est. Quamvis igitur consecratione nondum consummata sint: verum ut consecrentur disposita fuere et Deo dicata et typi Dominici corporis et sanguinis sunt. Si ergo sacris imaginibus honorem venerationempue tribuimus, quanto magis ipsa dona, quae ut

[1]) Goar o. c. p. 189.

M. Basilius dicit, Antitypa sunt et oblata, ut Christi corpus et sanguis fiant. Imposita autem altari sacra dona cooperiuntur, quia non omnibus ab initio cognitus fuit Jesus: et licet corpus assumpsisset, tamen ab abscondita sua Divinitate ac providentia discessit: sed incomprehensus et infinitus est semper, tantumque dumtaxat cognoscitur, quantum ipse revelat."

In oratione „Οὐδεὶς ἄξιος" etc. provocat sacerdos ad infinitam Dei potestatem ac immensam clementiam, in quibus unicam spem suam fidemque collocat, et humiliter confitetur: se sui nihil, debilitatem ac indignitatem profunde sentire, quam ob rem et impetrat a Deo, ut ipse dignum faciat eum ad offerenda munera argumentans: „tu enim es offerens et oblatus et assumptus et distributus, Christus Deus noster etc." ac si diceret: firmiter credimus persuasique sumus tantopere indigere nos auxiliante tua gratia, quod neque cogitare possimus, ut aliquid salutare absque illa facere queamus, semper memores apostolicae[1]) admonitionis: „Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est;" eo magis itaque opus est nobis in tam grandi opere salutis in sacrificio nempe altaris digne conficiendo, auxilio Dei supernaturali pollere. Nam etsi Patri Deo semper accepta est oblatio tum ex parte rei, quae offertur, tum ex parte Christi, qui est oblator praecipuus, tamen cum possit contingere, ut ex parte vel sacerdotis, vel populi non sit accepta, propterea sacerdos Deum deprecatur, ut non avertat faciem suam ab eo indigno servo argumentans: „Tu enim es, qui offers et offereris." Ingressus magni adjunctorumque ejus significationem s. Germanus hoc pacto aperit: „Sacrorum translatio a prothesi corporis, inquam, Dominici et

---

[1]) II. Cor. 3., 5.

sanguinis (designatione nimirum et figura) et eorum Ingressus ad altare et Cherubicus Hymnus, a Bethania in Hierusalem Domini introitum significat. Tunc enim plurima turba et Hebraeorum pueri tamquam regi et mortis victori sensibiliter Hymnum referebant: spiritualiter autem Angeli cum Cherubim Ter sanctum persolvebant Hymnum: ac sceptra et rompheas ut insignia regis proferunt etc."[1]) Mysticum ipsius sensum sic exponit Simeon Thess; „Haec autem omnia docent, quomodo in fine mundi apparente Salvatore, post malorum condemnationem et recessum, non alia erit haereditas fidelibus, quam regnum Dei et ipse Christus et dispensationis ejus contemplatio, cujus mysterium in eo cognoscitur, quod se humiliaverit usque ad mortem, quod pro nobis occisus est, quod occisum illius divinum et vivificum corpus vulnera inspicienda exhibuit et immortalitatem adeptum contra mortem triumphum nobis largitus est, ex vulneribus suis incorruptionem et vitam et divinitatem nobis cum Angelis impertiens alimentum ac potum, ac vitam et lumen ipsum, panem vitae, verum lumen, vitam aeternam, qui est Jesus Christus. Quare ingressus ille solemnis et secundum adventum Salvatoris et sepulturam ejus ante oculos ponit, quoniam ipse erit, ut diximus, quem in futuro saeculo contemplabimur".[2])

Prouti supra indigitavimus contingente missa episcopali, ante transportationem ss. donorum a πρόθεσι ad altare sub decantatione Hymni cherubici episcopus in facie totius populi lavat manus in signum puritatis animae, quam in conficiendis sacris habeat necesse est, per hoc

[1]) Goar o. c. p. 114.

[2]) Goar o. c. p. 188.

factum fideles quoque ad ss. mysteria accessuros monens, ut prius ab omnibus mentis corporisque maculis se purgent oportet, alludente Psalmista:[1]) „Quis ascendet ad montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde etc.“

Auctor hymni „Decorus Joseph etc.“ est S. Joannes Damascenus, refertque in illo historiam sepulturae dominicae, quocirca a multis interpretibus toti huic magno ingressui praeter caeteras etiam significatio sepulturae J. Christi tribuitur, cum nimirum tot perpessum corpus ejus ablatum fuerit de cruce atque transportatum a Golgotha in monumentum novum, quod juxta erat.[2]) Huic conceptui et ipsa ecclesia succurrere videtur, cum hymnum hunc, utpote memorationem monumenti Domini sepulturaeque ejus continentem, recte nunc jubeat legere, quando videlicet transportatio ss. donorum in concomitantia suffumigationis cum thymiamate ac tectus per „Aerem“ ad altare contingit. Convenientissime etenim significat altare monumentum Salvatoris, quoniam sicut corpus J. Christi de cruce ablatum fuerat per Josephum ac Nicodemum et dein in novum monumentum positum, ex quo postea gloriosa toti mundo resurrectio resplenduit, ita et hic ss. dona, super quibus in προσκομιδῇ passionis ac mortis Christi adnexa verbis enarrata symbolicisque actionibus peracta fuerant, a πρόθεσι ad altare transferuntur, ut ibi ceu monumento cum honore sepeliantur et unde posterius gloriosa ejus resurrectio coetui fidelium manifestetur. Profecto hic conceptus videtur maxime convenire toti nuper descriptae ceremoniali actioni, ut nempe per commemoratam dominicam sepulturam ecclesia quasi Josephum ac Nicodemum honori-

[1]) Ps. 23., 3., 4.

[2]) Ioan. 19., 40—42.

fice Dominum sepelientes imitari indicetur, teste enim S. Matthaeo[1]) Joseph ab Arimathaea „posuit illud (corpus Christi) in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum, magnum ad ostium monumenti“ saxum quod hic „Aer“ repraesentat, quo ss. dona teguntur.

Duorum versuum Ps. 50. ultimorum significatio sequens est: Sub nomine „Sion“ ecclesia Christi intelligitur, quae continua sua perseveratione et ob manifestas divinae suae institutionis notas atque eximias dotes, quibus Christus Dominus eam insignivit, magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis doctrinae catholicae est, ac veluti signum levatum in nationes, invitanus eos, qui nondum crediderunt, ad fidem amplectendam, ac certiores faciens fideles, firmissimo niti fundamento fidem ab ipsis professam.[2]) „Muri Jerusalem“ sunt episcopi et presbyteri, siquidem doctores rectae fidei exemplaque bonorum morum, quos ipse Deus virtutum dat „in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum“[3]) defendendi causa Urbem s. ejus i. e. ecclesiam ab invasione hostium visibilium, quales sunt infideles et haeretici, atque invisibilium, seu impetu spirituum immundorum. In phrasi „sacrificium justitiae, oblationes et holocausta,“ ac „vitulorum“ continetur prophetia sacrificii J. Christi et respective liturgiae nostrae.

Mox inchoat sacerdos alta voce sequentes „ectenias“ ad singulas populo „Domine miserere“ respondente, pronunciare: „C o m p l e a m u s o r a t i o n e m n o s t r a m D o m i n o“. Chorus: „D o m i n e M i s e r e r e“. Compleamus idem ac augeamus, adhuc effundamus.

---

1) Matth. 27., 60.

2) Conc. Vatic. sess. 3. cap. 3.

3) Jerem. 1., 18.

Sacerdos: „Pro propositis pretiosis donis Dominum precemur". Chorus: „Domine miserere". Contendente Nicolao Cabasila (Expositio liturg. cap. 25.) in hoc loco admonemur ob proposita Deum implorare, „ut dona accipiant consecrationem." His adjunguntur adhuc plures preces secundum diversas membrorum ecclesiae indigentias, uti: „Pro sancta hac aede et iis, qui cum fide, devotione et Dei timore in ipsam ingrediuntur, Dominum precemur". Chorus: „Domine miserere." Sacerdos: „Ut liberemur ab omni afflictione, flagello, periculo et angustia, Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere". Sicque jam attingitur offertorium majus, in quo oratio oblationis post divinorum donorum in s. mensa depositionem, a sacerdote secreto dicenda est, ut sequitur: „Domine Deus omnipotens, qui solus es sanctus, qui suscipis sacrificium laudis ab iis, qui te invocant in toto corde: suscipe quoque nostram, qui peccatores sumus, orationem et offer sancto tuo altari, et fac nos idoneos ad offerendum tibi dona et sacrificia spiritualia pro nostris peccatis et populi ignorantiis, et praesta, ut inveniamus gratiam coram te, et ut sit tibi acceptum sacrificium nostrum et Spiritus gratiae tuae bonus in nobis habitet et in his propositis donis et in toto populo tuo."

Quamvis oblatio etiam ante missam incoeptam facta esset, nihilo tamen minus iteratur oblatio, imo quemadmodum Arcudius observat τριπλασιάζεται, et qui-

dem a) ἐν τῇ προθέσει in praefatione liturgiae, ubi offertorium celebratur; b) cum e propositionis mensa ad altare ss. dona deportantur ac praesenti oratione super eis fusa denuo offeruntur et c) tandem absoluta consecratione, quando jam non species, sed ipsum corpus et sanguis ejus in sacrificium offeruntur. Haec ultima absoluta sua perfectione infinite alteras superat, cum in hac non amplius spe, designatione, aut figura, sed praesenti dono atque veritate panem ac vinum et sub his Christum aeterno Patri, ceu vere θεῖα δῶρα det, donet ac dedicet. Egregiam desuper adnotationem legimus in Photii „Bibliotheca“ fol. 113.: „Sanctificari dicimus, quae Deo segregantur, panis et vinum, quaeque ad nullum amplius communem reducuntur usum.“ In secunda precatur sacerdos, ut dignus sit, qui offerat: „fac nos idoneos ad offerendum;“ in tertia vero jam dicere audet: „tua ex tuis offerimus,“ quia nulla perfectior oblatio excogitari[1]) vel existere potest, corpore sanguineque Christi Domini. Modo continuat: „S u s c i p e, s a l v a, m i s e r e r e e t c u s t o d i n o s D e u s t u a g r a t i a.“ Chorus: „D o m i n e m i s e r e r e“. Sacerdos: „O m n e m d i e m p e r f e c t u m, s a n c t u m, p a c i f i c u m e t s i n e p e c c a t o a D o m i n o p e t a m u s“. Chorus: „C o n c e d e D o m i n e“, quod idem responsum et apud subsequentes collectas adhibetur.

Citata ἐκτενῆ excitare intendit sacerdos auditores ad imprecandum Deum, ut condonare dignetur totam diem perfecte i. e. sine peccato transigere, ita nimirum, sicuti in die extremi judicii transegisse exoptabimus. Porro, ut dies sit sanctus et pacificus, sive ut nos per totum illum cum invicem amorem amicitiamque custodiamus nihil cogitando, volendo, aut faciendo, nisi quod Deo

[1]) Goar o. c. p. 115.

beneplacitum sit. Et quoniam talem perfectionis gradum solis propriis viribus attingere moraliter impossibile est, orat ulterius sacerdos: „Angelum pacis, fidelem ducem, custodem animarum et corporum nostrorum a Domino petamus." Chorus: „Concede Domine". Per haec enixe implorat Angeli, ut fidelis ducis curam auxiliumque et custodiam vitae ad opera nempe salutaria patranda, cum vita in hoc saeculo recte ob hunc finem sit concessa homini viatori. Ceteroquin sub „Angelo pacis" plures angelum custodem intelligunt.[1]) Cabasilas etiam ita interpretatur dicens cap. 34.: „Oramus pro bono angelo, non, ut tunc nobis detur, datus est enim ab initio unicuique fidelium, sed ut operetur et suo officio fungatur, et custodiat et ad vitam rectam deducat."[2]) Quibusdam placet hic sub ἀγγέλῳ εἰρήνης specialiter paci procurandae praepositum mentorem callere, quare ad S. J. Chrysostomi hom. 3. in epist. ad Coloss. provocant, ubi fertur: „Propterea oramus et dicimus petentes Angelum pacis et semper pacem petimus, nihil enim potest ei aequiparari", asseverantque contendente Goario:[3]) „Sicut daemones ex animi pravo affectu et sponte comparata malitia, se vitiis hominibus suggerendis, Luciferum exempli causa superbiae, Asmodaeum luxuriae, etc. administros et intentores ex condicto praefecerunt; ita et pacis vel instaurandae, vel conservandae praesidem et provisorem, a Deo tam exquisitae provinciae praepositum, sanctus doctor agnoscit." Cum vero non sit homo vivens, quin peccet, obsecrat ulterius sacerdos: „Indulgentiam et remissionem peccatorum et delictorum nostro-

---

[1]) S. Basilius M. contra Eunomíum. lib. 3.; S. I. Chrys. hom. 3. super ep. ad Coloss. et sermo 35. in. Ascensionem.

[2]) Goar o. c. p. 125. — [3]) Ibidem.

rum, a Domino petamus." Chorus: „Concede Domine". Iterum sacerdos: „Bona et animabus nostris utilia et pacem mundo a Domino petamus." Chorus: „Concede Domine", scilicet tranquillitatem et absentiam tumultus, seditionis atque rebellionis, quae utique omnibus maxima infortunia sunt. Sacerdos: „Residuum vitae nostrae tempus in pace et poenitentia perficere a Domino petamus". Chorus: „Concede Domine", porro: „Christianos vitae nostrae fines absque dolore et improperio pacificos et bonam defensionem coram tremendo Tribunali, a Domino petamus". Chorus: „Concede Domine", in quibus liquide mortem justorum imprecatur.[1]) Dicitur „absque dolore", seu sine immanibus in luctamine mortis cruciatibus. „Improperio pacificus, i. e. sicut in vita sociali quoad officia publica in nullo deprehenditur vitio, quia illis secundum optimam suam conscientiam exacte ac in omnibus satisfecit, pari modo et de vita sua religiosa aliquando coram Deo cum simili fiducia intendit rationem reddere juxta illud S. Pauli:[2]) „Bonum certamen certavi etc." „Tribunal" graece=βῆμα, proprie gradus, gressus, passus, qui fit pede, a βαίνω=gradior, incedo; metonymice: omnis locus editus, ad quem ascendendum est per gradus, tribunal, pulpitum etiam thronus, v. gr.: „Sedente illo pro tribunali=καθημένου αὐτοῦ ἐπὶ βήματος."[3]) Nostro sensui simili occurit etiam in ep. ad. Romanos:[4]) „Omnes autem stabimus ante tribunal Christi=

---

[1]) Ps. 115. 6.

[2]) Tit. 3., 7.; I. Petri 1., 3., 4.

[3]) Matt. 27., 19.

[4]) Rom. 14., 10.

πάντες γὰρ παραστησόμεθα τῷ βήματι Χριστοῦ. Duplex autem tribunal pro hominibus oportet distingui: 1. partiale pro audiendo judicio particulari et 2. universale, in consummatione saeculorum, quando „Filius hominis venturus est in majestate sua et omnes angeli cum eo.“ Dein dicit sacerdos: „Sanctissimae illibatae, super omnes benedictae, gloriosae Dominae nostrae Deiparae et semper Virginis Mariae, cum omnibus sanctis memoriam agentes, nosmetipsos et invicem et omnem vitam nostram Christo Deo commendemus.“ Chorus: „Tibi Domine“, concluditque similiter alta voce „Per miserationes unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es cum sanctissimo, bono et vivifico tuo Spiritu, nunc et semper et in saecula saeculorum.“ Chorus: „Amen“.

„Miserationes unigeniti Filii“ hic memoratae immensum Christi amorem indicant, ex quo in uterum B. V. Mariae descendit, nobis convixit atque abundanter pro nostris satisfecit peccatis, quippe qui ipse nobis promisit: „Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.“[1])

His complentur preces publicae. Mox sacerdos praeparaturus adstantem populum ad actus celebriores cultus, pacem illi annunciat dicens: „Pax omnibus“, respondente choro: „Et cum spiritu tuo“, repenteque provocat ad osculum pacis dandum cum verbis: „Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur.“ Chorus: „Patrem et Filium et Spiritum S. Trinitatem, consubstantialem et inviduam.“ Verbis: „ἀγαπήσωμεν ἀλλήλους“

[1]) Ioan. 16., 23.

clare prolatis et osculo pacis tessera dato, mutua charitas commendatur, simulque populus fidelis ad sacra dona digne per consecrationem offerenda disponitur. Osculum pacis in missa solemni Latinorum demum ante Communionem datur; Graecos autem, quos teste Cassandro Armeni quoque imitantur, a primaevis temporibus osculum hoc sanctum, longe ante consecrationem praemissise, docet Dionysius,[1]) ut sequitur: „Coopertus quidem divinus panis proponitur et benedictionis calix, sacrum vero osculum sancto modo celebratur=ο δὲ θειότατος ἄσπασμος ἱερουργεῖται.“

Juxta philologos ἄσπασμος salutationem denotat, quae fit in tesseram amicitiae ac benevolentiae, partim honoris reverentiaeque, et ea vel voce prolata, vel scripta, aut ullo alio modo significata.[2]) Usus ejus ab ipsis incunabulis ecclesiae videtur repeti oportere, motivum vero, introductionis verba Dominica fuisse: „Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo et tunc veniens offeres munus tuum“.[3]) In his igitur contento Domini praecepto satisfacturi apostoli constituerunt: tempore oblationis ss. donorum osculum s. faciendum esse, veluti osculum charitatis, ad signaculum sinceri vinculi in Christo atque pacis et remissionis mutuarum laesionum, ut tali modo adstantium animi uniantur, ceu in unum conjungantur per hoc fraternae charitatis pignus, — videlicet cum s. osculo invicem osculent, — ut dein quasi ex uno ore et uno corde mereantur glorificare Deum in SS. Trinitate semper laudandum et superexal-

---

[1]) De eccl. hier. cap. 3.

[2]) Luc. 1., 29., 44.; Matth. 23., 7.; I. Cor. 16., 21.

[3]) Matth. 5., 23., 24.

tandum, confitentes: „Patrem et Filium etc.;" quare Tertullianus[1]) quoque s. osculum, tesseram orationis appellat. Simeon Thess.[2]) de isto observat: „Post primam vero precem symbolo dicto, fit salutatio, quoniam scilicet per sinceram Trinitatis confessionem, et unum de Trinitate incarnatum, inter nos uniti sumus, ipsaque confessio cum Angelis nos consociavit. Et quia diligere debemus nos invicem, quando et Christus per charitatem pro sacrificio oblatus est: et communicaturum illi ita vacantem esse oportet. Et quia in futura vita omnes amici, nullus ibi inimicus erit: procul enim inde ejicientur."

Veteres osculabantur invicem in capite ut principali parte structurae humanae, quandoque oculis, collo, manibus aut humeris, imo posterius in ore quoque, quae ultima consuetudo tamen in quotidiana vita quoque ob periculosas ac nonnunquam tristissimas consequentias ex usu recte et prudenter aboletur.

Ceremonia s. osculum dandi sequenti peragitur modo. Sacerdos ter adorans coram altari, prius confitetur amorem suum dicens apud singulas adorationes secreto: „Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum," atque in prima adoratione osculatur partem „Aeris" super s. panem, in secunda super s. vinum sitam, in tertia vero extremum s. mansae osculo tangit, utpote solium ac altare trihypostaticae deitatis. Compositaque tali modo cum Deo et altari ejus pace, mutuum dat et accipit osculum ab reliquis comministrantibus, seu rectius concelebrantibus sacerdotibus, — subintelligitur, si adsunt, — salutans unumquemque cum fraterna charitate juxta admonitionem apostoli[3]) cum puro corde dicens:

1) De oratione cap. 14.

2) Goar o. c. p. 190. — 3) I. Tim. 1., 5.

„Christus inter nos", confirmante altero: „est et erit", simulque secundum hodiernum usum et humeros sibi invicem osculantur, confitentes hoc actu se aequali modo suavi jugo J. Christi subesse ac leve onus ejus cum gaudio portare. Hoc idem faciunt et diaconi prius crucifixa in orariis propriis osculantes, in signum implorandae pacis divinae testimoniumque sui erga Deum amoris.[1] Contestatur hoc liber quoque 8. Const. Apost. in cujus cap. 15. diaconus ante praefationem edicit, ut omnes se invicem salutent in osculo sancto: et clerici episcopum et viri laici laicos et mulieres salutent mulieres. Quomodo et quando haec honore, aestimatione ac perpetua duratione digna consuetudo perierit, vix potest historice exquiri. Nobis dumtaxat triste constat factum, illum non amplius in usu esse apud fideles in genere, quin imo in Hungaria, saltem in Munkacsensi dioecesi neque inter presbyteros eum inveniri. Galiciani sacerdotes morem antiquum laudabiliter inter se conservarunt, prouti hoc etiam Viennae in ecclesia eorum ad S. Barbaram videri potest. Ceterum in ecclesia praeter hanc aliae quoque ceremoniae inveniuntur, — uti serius patescet —, quae non nisi historici testes sunt venerabilis antiquitatis christianismi, ast simul egregiae reflexiones reverendorum a majoribus usitatorum morum, remittentium radios suos ad virtuosam primaevorum christianorum vitam, ut eo magis elucescat tepor, quin potius frigiditas moderna in debita devotione quoad cultum divinum.[2] At licet hodie sensuales osculationes inter fideles in ecclesiis non ulterius compleantur, nihilo tamen minus hi audientes „diligamus nos invicem" tenentur has occulte, in cordibus perficere, dimittendo videlicet offensiones et injurias proxi-

[1]) Dmitrewskij o. c. p. 242.

[2]) S. J. Chrysost. hom. 36. in I. ad Cor.

mis atque vicissim mente sibi hoc idem petentes, siquidem absque tali mutuo reconciliante actione animarum ipse etiam auditus s. liturgiae non potest Deo placere, neque fidelibus salutare quid conferre, quocirca expresse urget Salvator[1]) noster: ,,Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester, qui in coelis est, dimittat vobis peccata vestra;" sive: „Et cum oratis, non eritis, sicut hypocritae, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis: Receperunt mercedem suam. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra."[2])

Modo sacerdos exclamat: „Portas, portas, in sapientia attendamus" atque cantor vel alter honorabilis assecla clara voce symbolum fidei recitat, omnibus ceteris simul cum sacerdote ei concomitantibus. De etymologia vocis symboli theologi disputant, quidam eorum asserentes ideo sic appellari regulam fidei; quia symbolum σύμβολον, (procedens a συμβάλλω=conferre) collatio, seu epitome est doctrinae christianae, quam continet. Juxta Baronium[3]), cujus sententia nobis potissimum arridet, symbolum idem significat, ac parole i. e. tessera militaris apud exercitum, ope cujus fideles invicem cognoscere poscunt. (An. 44. n. 15.) Alii[4]) plane hanc expressionem ex mysteriis derivant gentilium. Walafridus Strabo[5]) de lectione ejus observat: „Symbolum quoque fidei catholicae recte in Missarum solemniis post Evangelium recensetur, ut per sanctum Evangelium

[1]) Marc. 11., 25.

[2]) Matth. 6., 15.

[3]) An. 44., n. 15.

[4]) Criticat History of the Creed p. 11.

[5]) De rebus ecclesiast. c. 23,

„corde credatur ad justitiam“, per symbolum autem „ore confessio fiat in salutem“. Intelligendi causa voces τάς θύρας, τάς θύρας, necesse est ad liturgiam ss. Apostolorum[1]) recurrere, ubi mandatur diaconis juxta portam virorum, subdiaconis autem juxta portam feminarum stare, ut nemo exeat, et ne quisquam aperiat portam, etiam si fidelis esset, tempore oblationis. Custodes hi portarum πυλοροί dicebantur, a πυλή=porta, impositumque erat eis officium portas ecclesiae contra indecentem curiositatem ac irrisionem infidelium custodire et simul ne quis fidelium ante tempus proficiscatur. Per exclamationem igitur attenti reddebantur πυλοροί ad summam cautionem in custodiendis portis exhibendam, cum talis liturgiae pars sequeretur, quam nonnisi fideles poterant audire, qui per phrasin „in sapientia attendamus“ et provocantur ad debite intendendam contemplandamque divinam sapientiam symbolo fidei inclusam. Aliis expositus horum verborum conceptus minus placet ac abjecto sensu litterali libenter ad mysticam confugiunt interpretationem, juxta quam istae voces potius ad ora mentesque referre commendatur, siquidem ut in symbolo expositam sapientiam debita intentione, mente, voce, ac auditu percipiamus. Eodem pacto sensum eorum aperit Muravjeff[2]) quoque: „Nun ruft der Diakon: „Die Thüren, die Thüren. Merken wir auf in Weisheit.“ Vor alters war dieses für die Gläubigen das Zeichen die äusseren Thüren der Kirche zuschliessen, damit keiner, der in die christlichen Geheimnisse noch nicht eingeweicht war, oder gar ein Vervolger der Christen zu Zeit der Verrichtung der Sakramente eintreten könnte. Jetzt aber hat die Kirche keinen Grund mehr zu solcher Besorgniss, vielmehr

[1]) Constitut. Apost. lib. 8. cap. 11.

[2]) Muralti o. c. p. 22.

wird bei jenem Rufe der Vorhang von den h. Thüren die sonst beim Dienste eines gemeinen Priesters verschlossen bleiben, weggezogen zum Zeichen, dass das Geheimniss geoffenbart und allen Gläubigen mitgetheilt werden solle." Cum his sentit praeter Goarum aliosque etiam Cabasilas dicens: „In hac sapientia cunctas recludi portas imperat, ora videlicet et aures nostras: in hac ait, sapientia jugiter aperite; sive audiatis, sive loquamini, omni penitus eliminata negligentia studiose hoc peragite et vobis ipsis attendite" Ad litteram et apposite S. Germanus:[1]) „Portarum occlusio velique desuper expansio et velo Aere nuncupato sacrorum donorum obductione, noctem illam reor, manifestari, qua discipuli proditio successum habuit et facta est Jesu ad Caipham abductio et coram Anna citatio violenta etc. Ut quid enim velum illud, Aer nuncupatum est, nisi adumbraret tenebris undique tectum aerem noctis illius, de qua sermo institutus est." Nostro tempore, cum abolita sit antiqua disciplina et provocatio portas recludendi nonnisi historicum momentum habeat, nec porro in usu vigeat, conceptus alter magis commendabile opinatur, nempe ut per verba „portas, portas" ad portas aurium oculorumque aperiendas provocemur: audire et contemplari divinam sapientiam in symbolo fidei nobis manifestandam et quam firmissime munire cogitationes ac sensus contra inimici diaboli illecebras. Primam symboli formam ab ipsis Apostolis esse datam testatur Rufinus, historicus initii saeculi IV., quo narrante Apostoli discessuri primum signum (graece σύμβολον) composuerunt ut eandem doctrinam credituris in verba vitae aeternae pari modo proponant, quae prisca forma posterius ob emersas haereses quibusdam aliis necessariis definitionibus aucta at illustrata

[1]) Goar o. c. p. 124.

est. Usus lectionis symboli sub liturgia Antiochiae incepit, ubi contendente Theodoro lectore initio saec. V. jam vigebat. Saeculo VI. ad confundendum Macedonium, nolentem illud recipere, ubique in oriente recitabatur, tamen eo usque dumtaxat semel in anno, nempe die magnae Parescevis coram catechumenis mox sacramentum baptismi suscepturis perlegebatur. Serius quamvis haec haeresis exstincta sit, nihilominus tamen usus perutilis symbolum fidei recitandi reservatus est ab ecclesia cum eo fine, ut tali modo fideles 1. contestentur coram Deo rectitudinem fidei; 2. mutuam profiteantur inter invicem conjunctionem per identitatem ejusdem fidei et 3. ut purificent per confessionem hujus corda sua ad digne salutanda ac recipienda mysteria Domini.

Ab initio legendi symboli sumit sacerdos „Aerem“ tegentem s. dona ac sursum tenet illum quasi ad celanda s. dona, ut sic coram iis proferenda confessio fidei immediate in facie ipsius Salvatoris proferri videatur, sive quemadmodum scribit Simeon Thessal.[1]: „Sacrum enim velum super donis tenent usque dum sacrum compleatur symbolum: necesse est quippe omnia, quae Christum spectant pure confiteri et mox ipsum revelata facie contemplari.“ Olim ad disciplinam pertinebat cum hoc velo ad excitandum ventum aliquoties aerem movere, probabiliter ex eadem causa, ex qua ῥιπίδια in usum adducta fuerant. Hinc velum illud etiam ἀναφορά nuncupatur, recte propter motionem ejus sursum ac deorsum in legendo symbolo super s. dona. Quoad mysticam „Aeris“ significationem jam supra indicavimus illum a) lapidem super monumentum Christi positum repraesentare; b) ex causa impositionis ejus ad tegenda s. dona ideo appellatur „Aer“, quia per expansionem ejus supra s. dona ortae in illo

[1]) Goar o. c. p. 116.

loco tenebrae repraesentant illam tenebrosam horam proditionis Dominicae a Juda atque passiones ejus in aula pontificiali; c) Simeon Thessal. prout expositum erat: syndonem sepulturae Christi vult sub illo intelligere. Contendente S. Germano motio „Aeris" cum hoc velo significat illum strepitum in amotione lapidis per angelum de monumento, ubi Christus positus erat, ortum. Alii vero ita opinantur, quod haec motio volationem S. Spiritus repraesentet in mundo creando, quae interpretatio eo magis grata apparet, cum huic et ipsa lectio symboli maxime conveniat, quippe quae cum confessione Patris ut mundi creatoris ac conservatoris incipit. Huic sententiae favet ipse quoque Dmitrewskij[1]). Moderni communiter interpretantur, sub hac motione obumbrationem Spiritus S. esse intelligendam, siquidem cujus virtus ac gratia semper necessaria est ad efficienda sacramenta et cujus descensionem et sancta quoque scriptura[2]) sic contigisse enarrat: „Et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis et replevit totam domum, ubi erant sedentes." Hodierna discipilina proh dolor hanc ceremoniam nobis non praescribit.

Completa lectione confessionis fidei sacerdos inter pronunciando trisagio velo ter signum crucis sibi faciens denique hoc devote osculatur deponitque ad latus ceu signum mysticum adventus Spiritus S. clara voce apprecans: „Stemus honeste, stemus cum timore; attendamus sanctam oblationem in pace offerre." Chorus: „Misericordiam pacis, sacrificium laudis:" et iterum sacerdos: „Gratia Domini nostri Jesu Christi et dilectio Dei et Patris et communicatio S.

---

1) Dmitrewskij o. c. p. 249., 428. n. a.

2) Act. Apost. 2., 2.

S p i r i t u s s i t c u m v o b i s o m n i b u s." Chorus: „E t c u m s p i r i t u t u o."

Sensus horum liquide patet. Populus nimirum ad pacem hortatur, i. e. ut tranquillo atque pacato animo consecrationi jam imminenti attendat. Asserente enim Cabasila: „Non solum cum pace, sed ipsam quoque pacem pro dono et hostia offerimus." Hac de causa populus respondet: „Misericordiam et non sacrificium offerimus, est enim misericordia securae et quietae pacis germen."[1]) Haec adhortatio prouti subsequentes quoque jam in temporibus Apostolorum proferebantur atque adstantes sacrificio ss. Eucharistiae ad indefessam attentionem ac devotionem excitabant, quare in omnibus antiquis liturgiis inveniuntur. Egregiam interpretationem ejus conf. S. J. Chrys. serm. 4. de inexscrutab.

Sacerdos expressionem „Gratiam Domini" etc. pronuncians cum dextera porrigit fidelibus benedictionem in forma crucis sic salutans illos verbis Apostoli[1]), quarum designationem Cabasilas sic describit: „Oratio haec ab unaquaque persona SS. Trinitatis nobis commoda precatur: a Filio gratiam, a Patre dilectionem, a Spiritu S. communicationem seu participationem. Quoniam Filius nobis, nihil boni operatis imo ultionem merentibus in Salvatorem se praebuit; Pater vero per passiones Filii placatus est generi humano ac redamans factus est inimicorum. Postquam vero in dilectionem susceptis inimicis debuit dives ille in gratiis etiam bona sua communicare: hoc facit Spiritus S. super Apostolos descendens. Ideo bonitas ejus ad homines communicatio seu participatio dicitur:" Ad istam salutationem populus ostensurus suum obsequium ad ejus verba atque in gratifi-

---

[1]) Goar o. c. p. 116.

[2]) II. Cor. 13., 13.

cationem vicissim apprecatur sacerdoti a Deo eadem bona dicens: „Et cum spiritu tuo,“ juxta praeceptum, quo pro nobis invicem orare tenemur,[1]) quae verba B. Apostoli Pauli[2]) sunt dicentis: „Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.“

Modo sacerdos cum manibus sursum elevatis clamat: „S u r s u m c o r d a h a b e m u s.“ Chorus: „H a b e m u s a d D o m i n u m“, et iterum manibus in unum conjunctis: „G r a t i a s a g a m u s D o m i n o“. Chorus: „D i g n u m e t j u s t u m e s t a d o r a r e P a t r e m, F i l i u m e t S p i r i t u m S., S. T r i n i t a t e m, c o n s u b s t a n t i a l e m e t i n v i d u a m.“ De pulchra hac phrasi: „Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας“ observat Goarius:[3]) „Antiqua est devotae hujus exhortationis forma, eamque sibi utraque ecclesia vindicat. Nec immerito. Ab Apostolis quippe profluxit. In Jacobi liturgia legitur et in Constit. Apost lib. 8. cap, 12. ejus mentio fit apud auctorem de orat. Dom. Augustinum ser. 21. de diversis et in illud Confiteor tibi Domine pater et lib. 2. de dono persev. cap. 13, Cyrillum Catech. 5. myst. et tandem apud ipsum Chrysostomum hom. 2. et 18. in epist. ad. Cor. 2.“

Fundatur sequenti dicto Apostoli:[4]) „Quae sursum sunt, sapite, non quae super terram,“ quocirca admonet S. Augustinus:[5]) „Audi: Sursum cor“ sed ad Dominum, non contra Dominum. Omnes superbi sursum cor habent, sed contra Dominum. Si autem vis tu vere sursum cor habere, ad Dominum habe. Si enim ad Dominum habu-

---

1) S. J. Chrysost. hom. 18. in II. Cor.

2) II. Tim. 4.. 22.

3) Goar o. c. p. 116.

4) Col. 3., 2.

5) Sermo 25. n. 2.

eris cor sursum, ipse tenet cor tuum, ne cadat in terram." Vult autem sacerdos per hanc mentes fidelium alatas reddere, ut hi quo facilius secernant se a terrenis, impedientibus meditationem coelestium, cui fideles quasi ex anima respondent: jam elavata esse sua corda, jam sensus ipsorum purgatos esse a terrenis passionibus, quod convenientissime exprimunt per verba: „Habemus ad Dominum.[1])

Primo aspectu proinde apparet, quam opulenta sit haec brevis phrasis significatione, per quam firmiter insinuare studemus: vires animarum nostrarum a terrenis abstrahere velle et solummodo Deo divinisque consecrare, ut nimirum cuncta cogitatio carnalis saecularisque absedat, nec quidquam animus nisi id solum cogitet, quod precatur. Provocamur igitur hic, ut non instar vermium terrae in pulvere irrepamur, sed velut volucres versus coelum assurgamus, quam ob rem ne cor hominis per terrena deorsum prematur scissumque per diversi generis vanitates dissipetur, liberandum est a cogitationibus, cupiditatibus curisque hujus saeculi, ut totum quantum desiderio coeli queat impleri, juxta illud:[2]) „Volens sacerdos populum ad divina mysteria praeparare, excitando eum ad laudem divinam, invitat eundem ad laudandum Altissimum; ideo addit: „Sursum corda". Non enim laudare valemus Deum sincere ac digne, nisi contemplando divina, ad quod necesse est inferiora et sensibilia ista relinquere, mentisque oculum divinorum considerationi infigere, et hoc in praesenti officio summe requiritur, maxime in hoc loco, quoniam sacramentum istud totaliter divinum et spirituale ac abditum est." Etenim quo magis procul sunt ab anima dissipationes

---

1) S. Cypriani sermo de oratione dom.

2) Dion. Carthus. Expos. Missae art. 14.

saeculares, eo potentior redditur haec super creaturas assurgere ac per id eo clarius contemplari, quam bonus sit Deus et quomodo omnium bonorum principium existat, ita ut de his meditando impossibile sit Deo gratia non esse. Hunc laetitia plenum vult sacerdos exprimere affectum, dum exclamat: „Gratias agamus Domine". Hoc idem conantur fideles quoque testificari respondendo sacerdoti: „Dignum et justum est etc." quia si cor commotum fuerit a charitate grata erga Deum, tunc jam in eo est, ut inflammatis sensibus quo propius Deo elevetur, velut fini suo, in quo requiescat, secundum illud: „Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te Domine."

Dum chorus canit: „Dignum est justum est etc." sacerdos in formam crucis expansis brachiis fert secreto orationem oblationis, sive canonis liturgiae. „Dignum et justum est te celebrare, te benedicere, te laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis tuae. Tu enim es Deus ineffabilis, qui nec mente percipi, videri, nec comprehendi potes: qui semper es, eodemque et simili modo existis, tu et unigenitus Filius tuus, et Spiritus tuus S. Tu e nihilo ad esse nos adduxisti: et cum lapsi essemus, nos rursus erexisti: et omnia facere non destitisti, donec nos in coelum duceres et futurum tuum regnum largieris. Pro his omnibus agimus tibi gratias et unigenito Filio tuo et Spiritui sancto, pro omnibus, quae nescimus et scimus, manifestis et occultis tuis in nos beneficiis. Agimus tibi gratias etiam pro hoc sacro ministerio, quod ex manibus nostris suscipere dignatus es:

etsi tibi adsistant millia Archangelorum, Cherubim et Seraphim, sex alas et multos oculos habentes, sublimes et alti." Alta voce: „Qui victorialem hymnum canunt, clamant, vociferantur et dicunt." Chorus: „Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus. Sabaoth, plenum est coelum et terra, gloria tua. Osanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Osanna in altissimis."

Sensus hymni „dignum et justum est" sequens est: 1. dignum est Deo gratias agere, quoniam a) majestati Dei ex parte hominis quemadmodum creaturae ejus debetur honor et cultus latriae et b) quia est fons et largitor omnium bonorum, quae petere pro acceptis vero gratos nos reddere ipsa natura postulat; 2. justum est, quia decet nos imitari cives coelorum in glorificatione, qui coronas suas ante thronum Ejus collocantes solemniter celebrant: „Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia creasti omnia et propter voluntatem tuam erant et creata sunt."[1]) Hoc hymno incipit canon Eucharistiae (Κανὼν τῆς Εὐχαριστίας), qui est principale objectum et centrum totius liturgiae, finiturque cum adhortatione: „Et tribue nobis uno ore etc." Partes ipsum constituentes sunt: 1. Commemoratio perfectionum divinarum ac miserationum; 2. hymnus Seraphicus; 3. oblatio donorum in sacrificium Eucharistiae et mysterium consecrationis donorum in corpus et sanguinem Domini; 4. Invocatio Spiritus S.; 5. grata recordatio sanctorum ac preces pro vivis defunctisque et 6. completio Eucharistiae.

---

[1]) Apoc 4., 10., 11.; 19., 7., 8.

13. §.

Pars prima canonis Eucharistiae.

Saccerdos sufficienter disponens populum ad digne celebrandum Dominum, imitandi hunc gratia ipse quoque incipit elevata mente ac spiritu cor suum effundere confirmans gemitum fidelium, quando cum illis simul confitetur „dignum et justum est" etc. ut supra incipitque convenienter sacrificio J. Christi gratias agere Patri, sive juxta Cabasilan[1]): „Summum Sacerdotem Christum imitatus, qui priusquam communionis sacramentum traderet, Deo et Patri gratias egit, ipse pariter ante orationem consummativam, qua sancta consecrat, hanc gratiarum actionem exhibet Deo et Patri Domini nostri J. Christi."[2]) Ulterius observat Goar de praefatione, de qua sermo institutus est, sub nomine Eucharistiae jam Justinum martyrem ap. 2. meminisse, cum dicat: „Εὐχαριστίαν ἐπὶ πολὺ ποιεῖται=gratiarum actionem multo sermone peragit". Dionysius[3]) autem eam: „ἱεροὺς τῶν θεουργικῶν ὕμνους= sacros divina effectivorum hymnos appellat, illiusque acutorem Honorius Solitarius lib. I. cap. 89. eum putat esse, cum tamen primus illius ortus non nisi apostolis ipsis adscribi posse videatur. Dein, prouti ex contextu nuper citatae praefationis liquide palam fit, confitetur sacerdos imprimis Ejus (Patris) unigenitique Filii ejus atque vivificantis Spiritus aeterna attributa et affirmativa et negativa, de quibus fuse disserit S. J. Damascenus de fide orthodoxa lib. I. cap. 15. et auctor libri de coel. hier. cap. 2. §. 3., utpote essentialia communiaque toti increatae Majestati, quae egregie extolluntur hujusdem

1) Goar o. c. p. 117.

2) Ibidem.

3) De eccl. hier. cap. 3.

praefationis phrasibus: „σὺ γὰρ εἶ Θεὸς ἀνέκφραστος=ineffabilis, inenarrabilis, inillustrabilis, ἀπερινόητος=mente non perceptibilis, hujus potentias longe superans, porro ἀόρατος, ἀκατάληπτος, ἀεὶ ὤν etc. Pari modo singulorum quoque hypostasium SS. Trinitatis enumerat attributa per sic dictam „appropriationem", quae in divinis ille modus loquendi est in re fundamentum habens, vi cujus attributa divina absoluta ac operationes divinae ad extra uni personae prae reliquis adscribuntur. Ratio est analogia sive similitudo, quam proprietates cum illis attributis operationibusque habent; finis autem, ut eo apertius ostendatur distinctio personarum divinarum realis, quibus per id istae operationes appropriantur, quae certis illarum attributis relativis respondent. Superfluum est probare, opera Dei externa ideo indivisa manere, siquidem hoc de fide est,[1]) ut sequitur: „Unum universorum principium Pater, Filius et Spiritus S., creator omnium visibilium et invisibilium etc." Haec appropriatio evenit et hic, cum chronographico ordine omnia bona opera, miserationes et miracula divinae oeconomiae ad salutem humanam specifice referuntur.

Excellit in hac ratione liturgia S. Basilii M., in qua ob prolixitatem precum haec idea adhuc majorem intelligibilitatem invenit perspicaciorque fit. Inquit enim divus pater: „Pater Domini nostri Jesu Christi . . . qui est imago[2]) tuae bonitatis, aequalis figurae signaculum=σφραγὶς ἰσότυπος, . . . a quo Spiritus S. processit, Spiritus veritatis, gratia adoptionis=τό τῆς υἱοθεσίας χάρισμα[3]) arrha futurae haereditatis=ὁ ἀρραβὼν τῆς μελλούσης κληρονομίας[4]) etc."

---

[1]) Conc. Later, IV.

[2]) Hebr. 1., 3.

[3]) Rom. 8., 15. — [4]) Ephes. 1. 14.

Idem de Filio in oratione ante consecrationem: „Quando autem venit plenitudo temporum, locutus es nobis in ipso Filio tuo, per quem etiam saecula fecisti. Qui cum esset splendor gloriae tuae et figura substantiae tuae et omnia ferret verbo virtutis suae, non rapinam arbitratus est esse se aequalem tibi Deo et Patris: sed cum esset Deus ante saecula, in terra visus est et cum hominibus conversatus est et ex Maria V. incarnatus exinanivit semetipsum formam servi accipiens ... ut nos efficeret conformes imagini gloriae suae etc." Quod vero Spiritum S. attinet, ait: „A quo omnis creatura ratione ac mente praedita (totum genus humanum et virtutes angelicae), viribus acceptis confirmata te colit, et aeternam tibi glorificationem=Καὶ σοὶ ἀΐδιον ἀναπέμπει δοξολογίαν, ὅτι τὰ σύμπαντα δοῦλα σά, quia omnia tibi serviunt etc."[1])

Perdigna est consideratione expressio hujus praefationis: „eodemque et simili modo existis", graece: ὡσαύτως ὤν, cui simillimum est illud:[2]) „Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient"; indicat vero immutabilitatem Dei internam tum quoad essentiam, tum quoad cognitionem, tum quoad decreta sua, prouti et ipse confitetur de se: „Ego enim Dominus et non mutor."[3])

In nuper allata secreta igitur oratione quemadmodum audivimus, sacerdos postquam loquitur ad populum de elevatione cordis ad Deum exhortaturque illum ad gratias agendas Deo, laudibus os implet, in quibus ipse quoque properat gemitum confirmare fidelium iisdem verbis inchoans orationem suam, ut hi hymnum, dicens: „Dignum et justum est te celebrare etc., tibi gratias agere etc." Motiva tum populum, tum sacerdotem ad

1) Goar o. c. p. 141. sq.

2) Ps. 110., 28.

3) Malach. 3., 6.

gratias agendas commoventia suas habent rationes, quas in sequentibus studebimus enucleare:

Respective ad Deum, dignum est Deo gratias agere, quia per hoc agnoscitur celebraturque majestas, dignitas ac bonitas Dei, ex altera vero parte extollitur simul et dignitas nobilitasque nostra, cum gratitudo pulcherimum sit signum cordis nobilis, ingratitudo vero repudiatio in homine similitudinis Dei. Exhibemus autem Deo gratum animum, beneficia omnia, quae ab Ipso veniunt, recognoscendo ac aestimando, humillimas Ipsi gratias pro illis agendo, vitam nostram in divinum obsequium impendendo, Ipsiusque honorem omni industria promovendo. Dicitur porro justum esse Deo gratias agere, quia gratus animus necessario conjunctus est cum justitia siquidem: „recompensatio beneficiorum ad virtutem gratitudinis specialiter pertinet."[1]) „Justitia vero est" virtus moralis inclinans hominis voluntatem ad jus suum unicuique tribuendum[2]), quam qui perfecte habet, debet et grato animo pollere, quippe quem instar debiti tributi etiam ipse Deus urget a nobis docente Apostolo:[3]) „In omnibus gratias agite: haec est enim voluntas Dei in Christo Jesu".

14. §.

Pars secunda canonis Eucharistiae.

Post enarrationem attributorum divinorum ac enumerationem operum Dei circa salutem nostram, sacerdos ulterius pro cunctis his sinceras gratias agit, „manifestis et occultis suis beneficiis", in fine vero pro praesenti quoque sacrificio liturgiae atque illico transgreditur ad

[1]) S. Thomae 2., 2. q. 106. a. 1. ad 3.
[2]) Idem, 2., 2. q. 58. a. 1. c.
[3]) I. Thess. 5., 18.

excelsam Seraphorum glorificationem, quos vidit Isaias[1]) propheta, „quando clamabant alter ad alterum et dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus. Et commota sunt superluminaria cardinum a voce clamantis et domus repleta est fumo" et S. Joannes:[2]) „Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et quatuor animalia singula eorum habebant alas suas et in circuitu et intus plena sunt oculis; et requiem non habebant die et nocte, dicentia: Santus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat et qui est, et qui venturus est." S. Germanus rationem harum sic aperit: „Qui canunt: Aquilla est, qui reboant: bos, qui clamant: leo, qui dicunt: homo. Ratione igitur homo praeditus, Cherubicarum virtutum vice, et quadriformia animalia clamant, Sanctus, etc." Arguta haec expositio quatuor voces incomposite inter se junctas apposite declarat.[3]) Goar etiam huic interpretationi inclinat, cum contendat, quod „sub quatuor illis vocibus: ᾄδοντα, βοῶντα, κεκραγότα καὶ λέγοντα nullatenus sublunarem mundum quatuor elementis compositum, vel coelestem quatuor partibus, Oriente, Occidente, Arcto et Meridie divisum, in quibus Dei gloria (pleni sunt enim coeli et terra gloria Dei) praedicatur, designant, quin potius cum Cherubicorum et Seraphicorum spirituum, oratio superior mentionem proxime fecerit, quatuor animalia, quorum illi formam in scripturis induisse leguntur, his quatuor vocibus significari tenendum est indubie."

Sacerdos alta voce pronuncians „Qui victorialem

1) Isaiae 6., 3., 4.
2) Apoc. 4., 6., 8.
3) Goar o. c. p. 117.

hymnum etc." accipit stellam ac in forma crucis in quatuor extremis attingit s. discum secundum Dmitrewskij[1] 1. ad excitandam attentionem in statim perficiendo mysterio, 2. ad repraesentationem quatuor illorum animalium in Apoc. 4., 8. descriptorum.

Primo aspectu clare liquet hymnum hunc ex glorificatione Seraphica, quam Deo exercituum, Deo forti, coelestis militiae duci, inimicarum legionum debellatori, victoriaeque omnis datori vires coelestes cecinerunt et canunt, atque ex turmarum Hebraeorum cantico, Christum veluti triumphantem regem exaltante per verba: „Osanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini", compositum esse.

Dicitur ter „Sanctus", ut Deus omnino sanctus, velut pelagus sanctitatis insinuetur, sive observante Angelico:[2] „Tria laudant: personarum trinitatem, unitatis majestatem et provisionis liberalitatem (quia usque ad ultimas creaturas, quae per terram intelliguntur, extendit diffusionem suae bonitatis.)"

Cuncta coelestis exercitus militia projecto antiquo illo coelestis harmoniae disturbatore perpetuo, quin defatigetur, unisono ac consono concelebrat concentu ter sanctum Deum, oportet exinde nos quoque saltem hoc sancto tempore cum digna sollicitudine corda nostra sursum ad coeleste Jerusalem elevare, humiliter confitentes nostram laudem valde miseram esse absoluteque indigere, ut ipse coelestis Pater dignetur admittere voces nostras ac jungere vocibus ordinum Angelorum.

S. J. Chrysostomus et S. Ambrosius sequenti modo interpretantur hunc hymnum: „Cherubim atque Seraphim continuo superexaltant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus

---

1) Dmitrewskij o. c. p. 264. n. d.

2) S. Thom. In Is. c. 6. n. 1.

Sabaoth. Non semel dicunt; ne credas in Deo unitatem (personarum) esse, non bis dicunt, ne opineris in eo multitudinem (essentiarum); sed ter vociferant ac toties dicunt, ut intelligas in hoc hymno distinctionem (personarum) Trinitatis et unitatem Deitatis." S. Ambrosius liber de Spiritu S. „Sanctus Pater, volens mactationem vituli saginati peccatum non experti; Sanctus Filius, qui voluntarie semper immolatur ac vivit; Sanctus Paraclitus, Spiritus S. sacrificium perficiens". S. J. Chrys. sermo de filio prodigo.

Phrasis „benedictus, qui venit in nomine Domini" sumptus est ex psalmi 117., 26., et utebantur ista Hebraei in salutationibus praecipue in occursum venientibus impetrando his sanitatem, pacem aliaque fausta. Cum hac intentione prolata fuerat illa a turmis quoque Jerosolymorum in salutatione Christi tamquam regis Israel, promissi per os prophetae:[1]) „Ecce Dominus auditum fecit in extremis terrae, dicite filiae Sion: Ecce Salvator tuus venit", et apud Zachariam:[2]) „Exulta satis filia Sion: jubila, filia, Jerusalem, Ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator", qui solemniter ingressus s. civitatem: confirmare ibi thronum benedicti regni per effusionem sanguinis sui atque exaltari in cruce in aeternum.

Ecclesia ex fervido amore erga Sponsum in sua liturgia eodem hymno occurrit ei, quo olim a judaicis turmis salutatus fuerat in itinere suo triumphali ad Jerosolymas, ceu et nunc venturum de coelo in ecclesiam tamquam mysticum Jerusalem, ad offerendum se in s. mensa ut olim in cruce Deo Patri pro sacrificio totius mundi salutis gratia.[3]) Teste rabbi Elia vox „Hosanna"

---

1) Isaiae 61., 11.

2) Zach. 9., 9.

3) Dmitrewskij o. c. p. 268.

exclamabatur a Judaeis in festo tabernaculorum a die 15. usque 21. mensis Tischri celebrato, ita ut dies primus et ultimus tamquam festivi quiete sabbatica sacri essent. Prouti communiter notum est, institutum fuerat hoc festum in memoriam itineris Israelitarum per desertum, quam ob rem his diebus in tabernaculis e ramis et frondibus constructis degebant, inde σκηνοπηγία[1]) dictum; partim vero in grati animi tesseram pro larga frugum collectione, unde etiam festum collectionis a Moyse[2]) dicitur. Mos igitur erat populi in his diebus frondes in manibus portandi et in occurendo invicem verbo „Osanna“ salutandi, unde serius ipsae quoque frondes hoc nomine designabantur.[3])

Vox „Hosanna“ = הוֹשִׁיעָה נָּא origine sua hebraica est, composita ex הוֹשַׁע imperat. formae Hiphil 2. pers. sing. masc., a radice (in forma I. inus.) יָשַׁע = auxilium ferre et particula precativa נָא quaeso; ergo idem significat, ac fer quaeso auxilium, graece: ὦ Κύριε σῶσον δή.

Hymnum hunc triumphalem ex angelicis humanisque cantibus confectum ab initio adhiberi ab ecclesia constat ex cunctis antiquis liturgiis, uti SS. Ap. Petri, Marci, Const. Apost. lib. 8. cap. 12., S. Jacobi etc. Mysticum sensum egregie adhuc explanarunt: S. Gregorius M. lib. 4. Dialogorum cap. 58. S. J. Chrys. hom. 6. de Seraphim et I. in Isaiam.

Praefatio et hymnus triumphalis mystice repraesentant Pilatum proclamantem Domini innocentiam, dum Judaei eundem Dominum, quem paulo ante inter „Hosanna“ exceperant, nunc ad mortem expetunt.

---

1) Ioan. 7., 2.

2) Ex. 23., 16.

3) Calmet. in Matth. 21. 9.

15. §.

Pars tertia canonis Eucharistiae.

Adhuc canente populo hymnum Seraphicum adjungit se sacerdos choris coelestibus angelorum iterum expansis brachiis secreto orans: „Cum his quoque beatis virtutibus benigne ac clemens Domine, clamamus et dicimus, Sanctus es, et omnino Sanctus, tu et unigenitus Filius tuus, et Spiritus tuus: Sanctus es, et omnino Sanctus, et magnifica est gloria tua. Qui mundum tuum ita dilexisti, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Qui cum venisset, et quam pro nobis susceperat, dispensationem implesset, nocte qua tradebatur, vel potius se ipsum tradebat pro mundi vita, accepto pane in sanctis suis et illibatis et innoxiis manibus, cum gratias egisset et benedixisset †, sanctificasset †, fregisset †, dedit sanctis suis Apostolis et discipulis dicens.“ Sacerdos nunc inclinatus super altare, quo unio ejus cum Christo significatur, et cum digitis: pollice, indice ac medio in unum compositis ostendens sanctum panem, quem nuper cum cruce signatis verbis dextera sua benedixerat, alta voce canit:

„Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.“ Chorus et sacerdos: „Amen“.

Dein desumens velum de calice, humilem reverentiam facit ante illum, quem comprehendens sinistra benedicit dextera per orationem dicens secreto: „Simi-

liter etiam calicem † postquam coenavit dicens" alta voce ut prius: „Bibite ex hoc omnes. Hic est sanguis meus N. Testamenti: qui pro vobis et multis effunditur in remissionem peccatorum." Chorus et sacerdos: „Amen, Amen, Amen". Et mox sacerdos expansis brachiis continuat secreto: „Memores igitur salutaris hujus mandati, et omnium, quae pro nobis facta sunt; crucis, sepulchri, triduanae resurrectionis, in coelos ascensionis, a dextera sessionis, secundi et gloriosi rursus adventus," alta voce: „Tua ex tuis tibi offerimus per omnia et in omnibus". Chorus: „Te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus, Domine et rogamus te Deus noster."

Contendente nunc exhibitae orationis textu sacerdos post enumerationem multifariorum divinae oeconomiae pro nostra salute operum, in antecedente oratione exhibitorum, modo pervenit ad ipsam, quae omnium maximi est ponderis, missionem Filii Dei in mundum, „ut omnis, qui credit in illum, non preat, sed habeat vitam aeternam," ceterasque operationes ejus quas inter nos degens nostrae salutis causa perfecerat, in fine autem ipsius quoque ultimae coenae memor est, quam ingressurus ad immanes suas passiones, cum discipulis habere dignatus est et quae nostrae Eucharistiae prototypon est, utpote ad quam nostrum sacrificium referre debet atque ad instar ordinis in illa habiti profert verba consecrationis prius panem et dein vinum in corpus ac respective in sanguinem Christi commutando.

In hac oratione vividissimis depingitur coloribus aeternum divinae sapientiae consilium quoad opus salu-

tis, in quo principalem locum mors Dominica in ligno crucis occupat, quae hic per verba „ut Filium tuum unigenitum dares“ extollitur. Quemadmodum enim apud lignum scientiae boni malique in medio paradisi positi, decepti devictique fuerant protoparentes nostri a satana ac inducta est ab eo per hoc in mundum mors, similiter divina ordinatione ex ligno crucis processit et nostra salvatio, quod Deus instar altaris magnae reconciliationis in medio orbis (terrae) posuit, in quo antiquus serpens, qui per lignum paradisi vicerat primos parentes, etiam devictus est, scil. per Christum Dominum nostrum, qui salutaris fuit hujus arboris fructus et efficax ad tollendam praevaricationem ex noxio nobisque damnoso fructu prioris arboris inflictam ac in quo ligno nos reviximus. Proinde mors Dominica in cruce in hoc loco librorum liturgicorum etiam per picturam exprimitur. Sacerdos super oblata profunde inclinatus mystice designat Christum ad mortem damnatum et crucem humeris accipientem. Ostentatio illa digitorum in species contingente pronunciatione verborum consecrationis fit ad augendam attentionem devotionemque in tanta re, simulque significandum sacerdotem hic ipsius Christi personam gerere, et hoc modo quasi ore Christi verba proferre consecrantia.

Antequam inciperet sacerdos orationem „cum his et nos“ etc., debet intentionem renovare nec non perpendere, quam ingentis momenti mysterium sit peracturus monente Dion. Carthusio:[1]) „Acutius intuere, o homo, qui sacerdotio fungeris: qua utique reverentia et devotione, qua humilitate ac dilectione te Dominum tuum in ipsa sacra hostia suscipere et amplecti, tractare contemplarique oporteat. Ipse equidem est, ante cujus tri-

---

[1]) De munificentia et beneficiis Dei, art. 25.

bunal mox necesse est adstare, qui judicaturus est vivos et mortuos et saeculum per ignem. In manu illius universa tua salus sita est, eum Cherubim Seraphimque adorant. Throni ei sedes sunt.“ Et revera, jam exinde, quod vera ac propria sacrificii Eucharistici ratio seu essentia in nulla alia actione, quam consecratione sit reponenda, solummodo enim in consecratione agit sacerdos nomine Christi, qui proprius est offerens atque vi consecrationis tantum Christus non solum praesens fit, sed et velut victima pro nobis in cruce mactata sistitur, sequitur: momentum hoc omnium ceremoniarum solemnissimum, affectuosissimum sanctissimumque esse, utpote quod in se continet illud ineffabiliter profundum opus divinum, in quo cuncta divinae charitatis miracula, velut in pharo congregantur. In ultima coena Christus erat unicus sacerdos offerens obtulitque se hic absque adjutorio alterius, e contra in altari principalis offerens est, qui per os ac manus visibilis sacerdotis, velut sui organi ac servi, se offert. Per consecrationem fit „victimae oblatio realis et substantialis,“ et sacrificio intrinseca quatenus verba quantum est „de se“, separant corpus a sanguine ac instar gladii mystici dissolvunt illud compositum atque ideo sacramentaliter mactant, efficientes, ut illud instar victimae occisae mactataeque se in altari habeat. In his iterum una dramatica actio exponitur, cum sacerdos omnia in persona Christi perficiat, ergo non tantum utitur potestate a Christo accepta, sed eam verbis correspondentibusque actionibus exercet ejus personam repraesentans et loquens ejus verbis, quasi esset ipsemet Christus. Pulchre desuper observat S. Thomas[1]) dicens: „Hoc sacramentum directe repraesentativum est dominicae passionis, qua Christus ut sacerdos et hostia Deo se

[1]) S. Thom. IV. dist. 8. q. 2. a. 1. sol. 4. ad. 4.

obtulit in ara crucis. Hostia autem, quam sacerdos offert, est una cum illa, quam Christus obtulit secundum rem, quia Christum realiter continet, minister autem offerens non est idem realiter, unde oportet, quod sit idem repraesentatione, et ideo sacerdos consecrans prout gerit personam Christi, profert verba consecrationis recitative ex persona Christi, ne hostia alia videatur. Et quia per ea, quae gerit respectu exterioris materiae, Christi personam repraesentat, ideo verba illa simul et recitative et significative tenentur respectu praesentis materiae, quae est figura illius, quam Christus praesentem habuit et propter hoc dicitur convenientius: „hoc est corpus meum," quam: „hoc est corpus Christi."

Dicitur ulterius: „accipiens panem in sanctas et intemeratas et immaculatas manus suas", quae sacerdos inclinato capite pronunciat elevansque dexteram suam devote, benedicit sanctum panem sic recordans manuum Christi sanctorum, toties in orationibus pro nobis ad Patrem elevatarum ac in cruce crudeliter perforatarum. Eadem actio in memoriam nobis reducet necesse est quaestionem quoque, utrum nostrae manus sanctae ac dignae factae sint ad perficiendum tam tremendi mysterii opus? Per verba: „gratias agens, et benedixit, sanctificavit, fregit, dedit sanctis suis discipulis et apostolis" ecclesia aequo gradu procedit cum ipso Domino, teste s. scriptura hoc idem faciente in ultima coena cum speciebus panis vinique, ut ad oculos ostenderet, frangendo panis species non frangi corpus Christi, quod ille cunctis dat integrum, non solum invitans homines ad mensam suam, sed simul praecipiens quoque, ut accedant et carnem suam manducent, dicit enim in forma imperativa: „Accipite, manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum." „Bibite etc."

Sacerdos proferens haec divina verba convertentia panem in corpus, vinum vero in sanguinem Christi, necessario, sancta admiratione, veneratione atque timore impletur, quod tali polleat potestate enixeque laudat internis sensibus Deum pro hoc grande salutis opus, ex quo mirum in modum elucet immensum charitatis Jesu Christis pelagus, eo quod hominibus, non angelis, tantam in corpus suum potestatem voluerit concedere, scilicet ut in Christi nomine ac persona queant cum omni veritate dicere: „Hoc est corpus meum" atque ita promissum Christum verificare: „Ecce ego vobiscum sum usque ad conconsummationem saeculi."

Hoc revera nostras exsuperat vires ac intellectum, quoniam ad aliquot momenta sacerdos divinae particeps fit omnipotentiae, ut omnium, quae fieri possunt, maximum miraculum faciat, convertens nimirum panem in corpus, vinum vero in sanguinem Christi modo, quem nos transsubstantiationem appellamus, consistentem in suo conceptu formali in relatione (et quidem extrinseca et solius rationis) ordinis inter substantiam, quae desinit et eam, in quam desinere dicitur vi verborum Christi; ita ut transsubstantiatio nihil aliud addat reali praesentiae nisi cessationem panis in ordine ad realem Christi praesentiam, quo verba Christi sint vera. Quarum locutionum sensus est, substantiam, quae accidentibus subest, non esse aliam, quam ipsum Christi corpus, quae doctrina de fide est.[1])

Christi corpus et sanguinem in hoc sacramento vere adesse, iis verbis, quibus institutum est, firmissime adstruitur ,quae quidem verba, quemadmodum jam prius demonstravimus, ita accipimus, ut sonant, nihil in illis deprehendentes, cur alieno illa sensu opus esset accipere et propter id ipsis derelinquimus, qui ad tropos figurasque confugiunt se-

[1]) Trid. sess. 13. can. 2.

mitasque carpunt devias, facti sui rationem reddere. Contendentibus theologis, cum et fidem nostram exercere vellet et simul facere, ne a suae carnis esca, sanguinisque potione abhorreamus, si propria specie sumenda essent, ea nobis aliena specie involuta praeberi aequum erat. Per secretam orationem „Memores igitur“ etc. indicatur praeceptum Domini apostolis datum, ut hi imitaturi sint hanc ejus actionem conferentes idem sacrificium in ipsius memoriam cunctorumque infiniti amoris operum, dicit enim: „Hoc facite in meam commemorationem.“ Dato et accepto hoc salutari mandato coena illa mystica decenter cum divino cantico completa est, sive ut Matthaeus ait:[1]) „Et hymno dicto, exierunt in montem.“ Quemadmodum enim coena paschalis in memoriam ac annunciationem magnalium Dei, perpatratorum in exitu filiorum Israel ex Aegypto instituta fuerat, ita et Jesus Christus Eucharistiam in memoriam operum, quae ille ad salvandum genus humanum a jugo diaboli perfecit, instituit, i. e. passionum ac mortis, utpote sine quibus non potuisset status naturae lapsae reparari et consequenter salus amissa redintegrari, cum miracula nonnisi propter id patraverit, ut homines crediturí sint: vere ipsum Messiam esse. Hanc ob causam appellat S. Paulus Eucharistiam annunciationem mortis Dominicae; „Quotiescunque enim — inquit — manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.“ Igitur ad explendum Christi Domini mandatum quoad sacramentum Eucharistiae consecrandum suscipiendumque, per hanc secretam compellimur orationem et in ejus commemorationem illud quotidie revocare ac peragere instituimur, quodque nec S. Jacobus omisit expresse proferre, nec S. Basilius dicens in sua liturgia: „Τοῦτο

1) Matth. 26., 30.

ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. Ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, τὸν ἐμὸν θάνατον καταγγέλλετε, τὴν ἐμὴν ἀνάστασιν ὁμολογεῖτε etc," dummodo idem S. J. Chrysostomus nonnisi tacite per verba „memores igitur salutaris hujus mandati", — de quo prius mentionem non fecerat, nec ulterius verbotenus meminit, — indigitet.

In modo pronunciationis verborum consecrationis ecclesia graeca discrepat a latina. Juxta hujus disciplinam nimirum tota haec grandis actio secreto perfici debet, ait enim Innocentius III.[1]): „Caeterum ne sacramenta vilescerent, dum omnes pene per usum in plateis et vicis aliisque locis cognitis illa decantarent, decrevit ecclesia, ut haec obsecratio, quae secreta censetur, a sacerdote secrete dicatur: Unde fertur, quod cum ante consuetudinem quae postmodum inolevit, quidam pastores in agro super panem et vinum sacra verba proferrent, repente carnem et sanguinem coram se invenirent, atque inde divinitus percussi atque igne coelesti consumpti interirent." Similem refert historiam Joannes Moschus,[2]) cujus auctoritas cum apud plures valeat, non est temere explodenda, vel subsannanda. Ex motivatione ergo decreti Innocentii III. nuper allati atque testimonio hic adductorum virorum historico funeste apparet: condemnabilem petulantiam fidelium circa sacra fuisse causam hujus disciplinae inducentem. E contra Graeci, quorum historici de tali abusu nesciunt, poterant antiquam consuetudinem et traditionem retinere, cujus jam S. Justinus M. testis ac memor est in apol. 2. dicens: „Terminante sacerdote orationes et gratiarum actiones, omnis, qui adest

[1]) De sacro altaris mysterio lib. 3. cap.

[2]) Prati spiritualis cap. 196.

populus acclamat dicens Amen, quod hebraica voce significat: fiat." Idem probat Justiniani supra citata novella ac perclarus Bessarion, qui ait: „Hoc ostendunt populi ad ea verba responsiones; sacerdote enim illa verba, ut vos Graeci soletis, pronunciante, assistens populus in utraque parte respondet Amen, quasi dicat; vere ita est, ut tu dicis: Amen, cum affirmandi apud Hebraeos adverbium sit idem, quod vere significat. Amen igitur ad ea verba respondens populus, certe inquit corpus et sanguis Christi sunt munera ista proposita: ita credimus, ita confitemur."[1])

Sacerdos in supra laudata secreta oratione singillatim computans peracta Domini opera in salute nostra restituenda, memoriam siquidem agens „crucis et sepulchri", quorum recordatio charitatem inflammat; porro „triduanae resurrectionis", quae fidem confortat; „in coelum ascensionis, a dextera sessionis", quae spem nostram corroborat, et denique „secundi et gloriosi adventus", qui cuique dignam collaturus est mercedem, jam ipsum Filium offert Deo in sacrificium verbis: „Tua ex tuis etc."=Τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν κατὰ πάντα καὶ διὰ πάντα, prout olim David[2]) precatus est. „Tua sunt omnia: et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi." Bene observat Goar ibidem: „Quamvis autem consecratione perficiatur oblatio (immolans quippe hostiam, simul eam Sacerdos offerre censetur) ut Christi tamen actiones exemplis suis imitetur et ratas firmasque habeat Ecclesia, oblationem jam diu ante consecrationem celebratam, et in ipsa consecratione tacite perfectam, verbis expressioribus, illam iterare non veretur. Utque haec ultima praeviis duabus aliis praestantior et certior di-

---

[1]) Goar o. c. p. 119.

[2]) Par. 29., 14.

gnoscatur oblatio, dejectum illum animum, quo prius indignitatis suae conscius orabat „fac nos idoneos ad offerendum“ et iterum „dignum censeas, ut a me peccatore indignoque servo tuo offeratur“ : dejectum, inquam, animum illum, et tremore veluti perculsum abjicit sacerdos, viribusque sumptis erigitur, et audet generi humano a Deo concessa dona, Deo ipsi praesentare et dicere: τὰ σά ἐκ τῶν σῶν etc.“

Sic non solum mente, animo verbisque fiduciam ostentat, verum enim manibus ac gestu quoque illam exprimere non reformidat. Profecto, secundum ceremoniam ritus sacerdos sub pronunciatione horum verborum dextera discum, sinistra vero calicem comprehendens atque transversis in crucis figuram manibus pretiosissima dona e sacra mensa versus coelum elevat, dicens jam saepius audita verba τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν etc.

Interest notare, graecum sacerdotem consecraturum, dona proposita nequaquam attingere, sed solummodo elevata post consecrationem ostendere, cujus agendi modo rationem daturi respondemus : non omnia quae fecit Christus, de necessitate consecrationis esse nihilque derogare cultui, si panem in manus non soleant sacerdotes sumere.

Dmitrewskijo non sine fundamento in re videtur, expressionem „tua ex tuis“ post S. Basilium et J. Chrysostomum liturgiam inductam fuisse, quoniam in contextu orationis divisionem sensus causat, atque contendit ulterius, oblationem prius in liturgia S. J. Chrysostomi per verba: „Etiam offerimus tibi rationabilem hunc et incruentum cultum etc.“, in S. Basilii autem . . . „confidentes sancto altari tuo apropinquamus et propositis, quae sanctum corpus et sanguinem Christi tui repraesentant, te rogamus et te obsecramus etc.,“ contigisse. In liturgia S. Jacobi, quae ceu mater est harum, deest.

Ipsa ceremonia oblationis ideo in forma crucis perficitur, ut per hoc indigitetur sacrificium Deo pro omnibus notis ac ignotis illius beneficiis, at praecipue propter crucem passionesque Filii ejus in ea subitas fieri, siquidem ipse quoque praecepit: „Hoc facite in meam commemorationem.“ Elevatio disci et calicis in forma crucis mystice significat Christum in cruce exaltatum et ex apertis vulneribus sanguinem fundentem.

Addimus adhuc solutinem quaestionis, cur panis et vinum Deo in sacrificium offeratur et non aliud quid?

Jam Cabasilas asseverat, id nuncupari humanum, quod cuidam homini convenit. Unicuique convenit edere et bibere. Ergo cuique homini humanum est edere et bibere. Notatur ad edendum necessariam esse confectionem panis, ad bibendum vero comparationem et aquae: atqui hoc soli homini est proprium. Pariter dilucidat rem et S. Joannes Damascenus:[1]) „Adhibebatur panis et vinum (in Eucharistia), quoniam commune est hominibus panem edere et aquam atque vinum bibere, idcirca univit (Salvator) cum iis suam divinitatem, faciens haec corpus et sanguinem suum, ut per communia et convenientia naturae, quae supra naturam sunt, participes fiamus.“

Cantici „te laudamus, tibi benedicimus“ etc. sensum S. Germanus sic exponit: „Te laudamus Deum et Patrem, tibi Filio et Verbo benedicimus, tibi Spiritui Sancto gratias agimus,“ cum ex aeterno Patris consilio et per operationem Spiritus S., ex quo in tempore conceptus fuerat, factus est Filius hostia mundi perpetuo immolanda in hoc sacramento homines, quos redemit, vivificandi gratia.

---

[1]) Lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 13.

16. §.

Pars quarta canonis Eucharistiae.

Modo sequitur invocatio Spiritus S. a sacerdote brachiis in formam crucis expansis peragenda verbis: „Etiam offerimus tibi rationalem hunc et incruentum cultum et rogamus et oramus et supplicamus, emitte Spiritum S. tuum in nos, et in haec dona tua“ atque humiliter se inclinat tegens velo calicem. Iterum similiter secreto: „Domine, qui sanctissimum Spiritum Apostolis hora tertia misisti, hunc o bone, ne auferas a nobis, sed innova nos, precantes te,“ adoratque coram s. mensa. Denique profert versus. „Cor mundum crea in me Deus et Spiritum rectum innova in visceribus meis“, porro: „Ne projicias me a facie tua et Spiritum S. ne auferas a me“, post singulos horum versuum iterans orationem „Domine, qui sanctissimum etc.“ ut supra atque adorans.

Jam adoratio confestim post verba consecratoria praescripta, si his intentio consecrandi adjuncta fuerit, quod apud nos unitos communiter fit, — firmissimum est nobis argumentum contra schismaticos de eventa transmutatione specierum in corpus Dominicum et sanguinem, false contendentes, hanc dumtaxat post et per sic dictam ἐπίκλησιν posse contingere. Secus nequit percipi, cur ecclesia tanta precum varietata ac tot orationum apparatu instructa in consecratis donis, adorationem his perhibeat, si transmutatio adhuc non contigerit. Reapse, si transmutatio usquedum non contigisset, ceremonia haec adorationis non tantum superflua, imo abominandissimae idololatriae exhiberet speciem, vel saltem populo

rudi id commitendi occasionem praeberet, qualismodi peccato ansam dare certe non intenturus erat sanctus noster pater Joannes Chrysostomus. Porro ante epiclesin mox post elevationem reperiuntur verba: „Etiam offerimus tibi rationalem hunc et incruentum cultum etc.“ Utique panis et vinum a sancto Patre rationalis et cultus incruentus non nominarentur, nisi ab ipso ut jam s. corpus sanguisque Domini considerata fuissent. Secundum plures theologos unitos in epiclesi communicatio Spiritus S. non ad transsubstantiationem exploratur, quia haec jam facta est, sed ideo ut per interventum Spiritus S. corpus ac sanguis Domini nostri J. Christi fiat nobis in salutem, non autem in perditionem; seu in epiclesi rogamus a Spiritu S., ut sacrificium nobis in sacramentum fiat.[1])

Hoc docetur unanimi consensu, vel saltem paucis exceptis, ab unitis theologis graecis. Difficultas, quae oritur ex quaestione, quomodo schismatici sacramentum altaris conficere queant, non habentes intentionem verbis Domini, sed per epiclesin transubstantiationem perficere, cum nec Latini negent ab iis confecta sacramenta vera validaque esse, — tantum ita potest solvi, ut concedamus, ut etiam epiclesis queat forma sacramenti SS. Eucharistiae esse, secus asserendum foret, illos SS. Eucharistiam non conficere, quod tamen nemo nostrum asserit.

Nihilominus hoc concedentes, firmo cum accentu exprimere oportet illos a contradictione clamante ex contestu liturgiae S. J. Chrysostomi nequaquam solutos esse.

Ex supra prolatis liquet, schismaticos proferendo verba: „Accipite et comedite etc.“, absque intentione — i. e. seclusa voluntatis applicatione, qua sacramentum, seu rem sacram, quam Christus Dominus instituit, peragere

1) Opinio Ant. Jámbor, quondam canonici cath. ecclesiae Munkácsensis virique doctissimi sui temporis.

constituimus seu volumus, — non consecrare, quia ut materia indeferens ad certum aliquem gratiae effectum significandum determinetur, praeter formam verborum necessaria est etiam intentio ministri, qua nondum sat determinata, forma materiae conjuncta, determinetur ad gratiam divinam in nobis efficiendam. Ast schismatici neque citata verba Domini pro forma, eo minus intentionem hoc loco habere volunt. Multum hucusque de hac contumacia disputabatur schismaticorum, ob quam pluries condemnati ignominiaque notati fuerant, novissime tamen Dr. Schell, — cum theologi disceptent, num Christus verbis, et quibus, si verbis usus est, consecraverit, — non vacillat sententiam omnino schismaticorum conceptui faventem in medium proferre scribens:[1]) „Die Form der Konsekration in der griechischen Liturgie der orthodox-katholischen (schismatischen) Kirche sowie den verwandten Liturgien besteht in der Epiklese: (Sende herab deinen hl. Geist auf uns und auf diese vorliegenden Gaben) und mache dieses Brot zum kostbaren Leib deines Christus (Diakon: Amen); und was in diesem Kelche ist, zum kostbaren Blute deines Christus (Diakon: Amen), sie verwandelnd durch deinen hl. Geist. (Diakon: Amen, Amen, Amen.) Lit. Chrysost."

Idem auctor quoad nos unitos sequentia docet:[2]) „Wenn jedoch, wie dies etwas in unirten Kirchen des orientalischen Ritus geschehen mag, die ausdrückliche Intention vorgeschrieben und gemacht wird, durch die Worte Christi im Einsetzungsbericht zu konsekrieren so ist die Wandlung damit vollzogen und der nach folgenden Epiklese nur mehr auslegender Wert geblieben."

[1]) Herman Schell, doctor der Theologie und Philosophie, Professor der Apologie an der Universität Würzburg. Katholische Dogmatik. Paderborn, 1893. Dritter Band. Zweiter Teil. S. 539.

[1]) Ibidem p. 540.

Sententia laudati theologi adeo concilians tantopereque placabilis est tamque commendabilibus argumentis suffulcitur, ut nos usui opinamur huic multum disputatae quaestioni esse, si eam ex majore parte reproducerimus. Inquit siquidem auctor ibidem: „Der gemeinsame Grund dieser 3. Sätze ist A. die Thatsache, dass sowohl der Einsetzungsbericht (in fast allen liturgien) als die Epiklese (in den meisten orientalischen Liturgien nicht aber in der römischen) die vesentliche Aufgabe der Konsekrationsform erfüllt. Der Einsetzungsbericht enthält die Worte Christi, mit denen er die Wandlung selbst vollbrachte oder doch als vollbracht bekundete: in recitativer Form; die Epiklese enthält diese Worte nach ihrem ganzen Inhalt, wenn auch in deprekativer Gebetsform, also indirekt hinsichtlich der Worte Christi, aber als direkter Ausdruck der Absicht, die Wandlung kraft des hl. Geistes zu vollziehen."

Hanc propositionem sequentibus explicat: „Gegen die Verschiedenheit der Konsekrationsform in den einzelnen Kirchen, welche das Messopfer giltig vollbringen, erhebt sich das Bedenken: Wie kann die Kirche die Form abändern, an welche Christus den Vollzug des Sakramentes geknüpf hat? Bei diesem Bedenken besteht die Voraussetzung, die Einsetzung der Sakramente sei nur dadurch möglich gewesen, dass Christus dieselben ausdrücklich als Mittel für diese besondere Gnade mit Angabe einer bestimmten Materie und Form angeordnet habe. Allein weder die hl. Schrift berechtigt zu dieser Annahme, noch die Tradition; letztere nicht, weil bezüglich der Materie und der Form der meisten Sakramente eine solche Verschiedenheit in den Kirchen herrscht, wie sie unmöglich bestehen könnte, wenn Christus ausdrüklich eine bestimmte Materie und Form angeordnet

hätte. Wir sprechen von jenen Kirchen, welche nach allgemeinen Glauben die hl. Sakramente giltig vollziehen . . . Die übernatürliche Kraft, welche bei den Sakramenten wirkt, strömt nicht aus festbestimmten Worten von magischer Wirkung in die Handlung bezw. in die Intention der spendenden Kirche, nicht aus dem Schall in den Geist, sondern aus der Intention der Kirche in die Worte, welche den entsprechenden und gesetzmässigen Ausdruck für deren Absicht bilden, in die Intention der Kirche aber aus der Anordnung ihres Stifters, und zwar aus der geistigen Substanz dieser gesetzgeberischen Anordnung, nicht aus der buchstäblichen Form, in der sie etwa zum Ausdruck kam. Der persönliche Geist, wie er in den priesterlichen Ministerium der Kirche und im den Sakrament als Handlung (ex intentione ecclesiae) erscheint, steht als Werkzeug dem Hohenpriester Christus näher, als das sachliche Mittel, d. i.: die Materie und Form der Sakramente. Es ist also nicht auffallend, dass in der Religion des lebendigmachenden Geistes und der Wahrheit hinsichtlich der Materie und Form der Sakramente keine derartige Gleichförmigkeit und Sicherheit vorhanden ist, wie dies anzunehmen wäre, wenn Christus in bestimmten Worten beide festbestimmt hätte. Er gab seinen Aposteln die Sache des Sakramentes und zwar so, dass sie unter der Leitung des hl. Geistes dieser Sache den angemessenen Ritus im Geiste Christi gaben, soweit er nicht deutlich von dem göttlichem Meister selbst, wenigstens der Hauptsache nach, bestimmt war. Dadurch wurde die Kirche vor der Gefahr bewahrt, eine magische Wirksamkeit bei den Sakramenten anzunehmen. Es ist daher nicht anstössig, wenn auch hinsichtlich der Konsekrationsform keine einförmige Gleichheit zwischen dem römischen Ritus und dem vorherrschenden griechischen Ri-

tus besteht". Idem ratiocinatur ulterius: „Man beruft sich indes auf den biblischen Abendmahlsbericht selbst, um die Alleingiltigkeit der römischen Konsekrationsform (durch die Worte Christi ex persona Christi) zu beweisen. Allein es ist unmöglich, aus dem Wortlaut den sichern Beweis zu erbringen, dass Christus erst durch die Worte. „Das ist mein Leib" konsekriert habe, sowie dass er durch die Worte: „Thut dies zu meinem Gedächtniss" nicht bloss dies eucharistische Opfermahl selbst angeordnet habe, sondern auch den Ritus dieser Opferfeier oder die Form der Konsekration. Bezüglich der Konsekration Christi lässt sich zwar der Text so zurechtlegen, dass er die Konsekration durch die Worte erlaubt; allein es bleibt von seiten des Textes mindenstens ebenso möglich, eine vorgängige Konsekration anzunehmen, und zwar deshalb, weil der Herr die Aufforderung zur Kommunion damit begründet, dass dasjenige, was er zur Speise biete, sein Leib sei. Das „enim" — mit der ganzen Darstellung sollte — doch vor allzu grosser Sicherheit warnen etc."

Ad thesin suam probandam dilucidandamque magna cura ac diligentia collegit auctor testimonia ex traditione, scribens o. c. p. 542. ut sequitur: „Die Tradition bezeugt von Anfang an mindestens ebenso gut die Konsekration durch das Gebet — also ex persona ecclesiae durch die Epiklese — wie durch das Wort. Dabei ist zu beachten, dass das Wort, dem die Konsekration zugeschrieben wird, nicht ohne weiteres als das Wort Christi verstanden werden muss, selbst dann nicht, wenn es Wort Gottes genant wird. Denn die Väter pflegen alle sakramentalen Worte lebendigmachende Worte und Gottesworte zu nennen, ohne die Meinung zu haben, dieselben genau dem Wort laut nach als Worte des

Stifters hinzustellen: vi verborum scil. sacramentalium wird immer konsekriert, wie getauft und gefirmt, sie sind lebendigmachende Gottesworte vermöge der Wirksamkeit des heiligen Geistes. Die Epiklese der orientalischen Kirche ist ebenso gut Gottes Wort zu nennen, — weil sie von der Herabkunft des hl. Geistes begleitet wird und das göttliche Werk vollbringt. Billuart sagt: Probabile est, apostolos statim ab initio sacrificasse adhibita sola oratione dominica t. 17. p. 335. Offenbar auf Grund der Worte Gregors des Grossen (ep. ad. Joh. Syrac.): Orationem vero dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent; et valde mihi inconveniens visum est, ut precem quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, et ipsam traditionem, quam redemptor noster composuit, super ejus corpus et sanguinem taceremus. Sed et dominica oratio aqud Graecos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote. Die Stelle ist so deutlich, dass Amalarius das Vaterunser für die Konsekration genügend hielt etc."

Quoad vim sacramentalem operandi nullum discrimen potest inter formam deprecativam atque recitativam existere, quia ut se auctor laudatus exprimit: „Der Grund der Sicherheit ist nicht die Form, sondern die Verheissung der Sache durch Gottes Wort. Ohne die Verheissung ist die direkte Rede ebenso wenig wirksam, wie die Gebetsform, um eine sakramentale Wirkung mit Sicherheit zu erzielen, etc." Ad rationi magis perviam penetrabilioremque reddendam auctor pulchram affert analogiam a S. Joanne Damasc.,[1]) quam hic de verbis Domini ut Creatoris ac ut Redemptoris composuit, ita

[1]) O. c. p. 545.

ratiocinans, quod prout in principio ad omnipotens Creatoris verbum: „Germinet terra herbam virentem etc." intercedente pluvia „factum est ita", pari modo dicente Salvatore: „Hoc est corpus meum", „Hoc facite in meam commemorationem etc." intercedente vi operativa Spiritus S. in epiclesi advocati dictum domini completur. In exposita analogia pluvia siquidem non constituit conditionem, sine qua verbum Creatoris non posset operari, sed solummodo medium est, per quod, hoc est quo intercedente ut medio verbum Creatoris opus suum perficit. Similiter se habet res et cum epiclesi.

Nos tamen provocando ad prius dicta et cum Schellio non negando etiam epiclesin posse formam SS. Eucharistiae esse, et denique cum ecclesia[1]) habeat desuper determinatam resolutionem, — necesse invenimus et denuo id exprimere; quod contextus nostrae liturgiae, praesertim vero solemnis decantatio verborum Dominicorum „Accipite et comedite etc." responsio populi ad haec affirmativa cum „Amen" atque in horum fine ex parte sacerdotis subsequentes humillimae adorationes totaliter superfluum reddunt epiclesin, quae jam si adest nequitque sine laesione piae antiquitatis expungi, multo meliorem haberet locum instar moris Latinorum ante verbis Domini, quam post. Absolute etenim non possumus intelligere, cur adhaereatur ad epiclesin, si jam antecedenter ipsius Domini verbis usi fuerimus, quae tali commendant se pro forma persuasione, ut vix queat iis resistere, nec est opus alia inquirere cum, — ut cuique sanae mentis ac judicii patet, — multo convenientius rationabiliusque sit his intentionem adjungere, quam epiclesi. Ceterum ipse quoque s. noster pater J. Chrysostomus ritum et formam consecrationis ita declarat: „Sacerdotis ore verba

[1]) Eugenius P. P. in decreto pro Armenis.

promuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia: Hoc est ait corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur." (Hom. 1. de proditione Judae).

17. §.

Continuatio.

Erectus sacerdos cruce signat s. corpus dicitque secreto: „Fac quidem panem hunc † pretiosum corpus Christi tui," et ulterius s. sanguinem benedicens ait: „Quod autem est in hoc calice † pretiosum sanguinem Christi tui," ac rursus utraque benedicens inquit: „Immolans † Spiritu tuo Sancto." Obiter notamus singulas benedictiones cum manu locis cruce signatis fieri oportere.

De initio et causis invocandi Spiritum S. ad consecranda dona sic cogitant schismatici. Initium ad ipsum tempus apostolorum, ad illos dies referri debet, cum apostoli post ascensionem Domini simul in Jerusalem habitaverint „perseverantes unanimiter in oratione" exspectando descensionem Spiritus S., quare oratio pro demittendo Spiritus S. ad consecranda dona in omnibus apostolicis liturgiis necnon in scriptis SS. Patrum[1]) invenitur. Causae sequentes sunt: 1. Sicut lucratio salutis humanae, in aeterno consilio Dei, Filio Dei concessa fuerat, sic est applicatio illius Spiritui S. commissa, consequenterque ad efficiendam SS. Eucharistiam et cuncta sacramenta n. testamenti — salutem per gratias sibi annexas operantia — invocatur virtus atque operatio Spiritus S.[2]) 2. Prout conceptio Filii Dei in utero B. V. Ma-

[1]) S. Iren. lib. 4. cap. 34. etc.

[2]) Isaiae 42., 7.; Hebr. 13., 20.; I. Petri 1., 20.; Ioan. 14., 16., 17., 27.; I. Cor. 6., 11.

riae, ejusque sacrificium crucis necnon resurrectio a mortuis teste s. scriptura[1]) per Spiritum S. effectae sunt et cum porro in SS. Eucharistia etiam mysterium efficatur, nempe nativitas J. Christi, mors resurrectioque ejus; eodem modo ad efficiendum incomprehensibile ac tremendum sacrificium fervidioribus orationibus invocatur Spiritus S., utpote cujus descensio etiam visibili modo quibusdam sanctis viris testibus fidedignissimis historicis manifestata fuerat. Cf. Limonarii cap. 27. et 150.; et in vita S. Basilii M. ac. S. Epiphanii Cypr.[2]) Usque dum nihil continetur contra doctrinam veram catholicam, omnia haec tot valent, quot argumenta illa suffulcientia. Laesio dein tunc incipit verae fidei, quando epiclesin nunc jam ut absolute unicam statuunt sacramenti formam, non titubando ut olim in Florentino, sed rigidissime excludendo verba Domini, utique quemadmodum cuique constat ob illam notoriam contumaciam ac tendentiam: quo magis ab occidente differri, ac si in differentia consisteret, vel salutem collocare vellent orientis.

Antiquitus non ita fuisse, vel saltem non in genere, patet ex sequentibus: „Die grosse synode von Jerusalem (1762), — scribit Schell o. c. p. 547., erklärte, dass die Konsekration durch die Epiklese vollzogen werde. — Die orthodoxe schismatische Kirche fordert bei der Konsekration der Bischöfe das ausdrückliche Bekenntniss: „Auch glaube ich und halte dafür, dass die Verwandlung des Leibes und Blutes Christi in der göttlichen Liturgie so, wie dies die morgenländischen und unsere russischen alten Lehrer lehren, vor sich gebe durch die Herabkunft und Wirksamkeit des hl. Geistes mittelst

1) Luc. 1., 35.; Hebr. 9., 14.; Rom. 8., 11.

2) Dmitrewskij o. c. p. 282. sq.

bischöflichen oder priesterlichen Anrufung in den Gebetsworten zu gott dem Vater: Mache daher dieses Brot zum kostbaren Leib deines Christus u. s. v."

Juste igitur assertio et doctrina haec lapis sunt scandalisationis ac temerarium contra rectam communis antiquitatis doctrinam attentatum, fautores autem et doctores ipsius, dilatantes vacuitatem orientem inter ac occidentem, moderni rabbini, thalmudistae christianismi, contorquentes scripturam et traditionem ad instar illorum in Israel, ad corroboranda sua futilia vaniloquia impiasque blasphemias, non parcentes nec sibi ipsis in odiosis rixis suis, per quas tam multis aliis quoque continuo spiritualem parant ruinam. Veri pharisaei, qui nec ipsi intrant regnum coelorum, nec alios sinunt intrare.

Egregie proponit circa ἐπίκλησιν quaestionem contra schismaticos Goar, qui ad verba: „Ποίησον τὸν μὲν ἄρτον τοῦτον τίμιον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου" interrogat: „An nunc primum Spiritu S. in sancta dona adveniente, fit illorum in corpus et sanguinem Christi conversio? Vel nunc primum orationibus, coelesti virtute comparata, quod Graeci quidam prave existimant, fit panis et vini consecratio?" Respondet negative dicens: „Non ita sane, qui haec verba scripsit, potuit sentire Chrysostomus, qui Christi Domini verbis virtutem omnem elementa in suum corpus et sanguinem transmutandi attribuit sermone de proditione Judae, quo ait: Hoc est corpus meum dicit sacerdos. Hoc dictum proposita convertit et transmutat." Deinde exponit doctrinam schismaticam observans: „Ab ea tamen opinione longe sunt sancti Catholicae ecclesiae patres (quamvis non dissimulandum sit Graecos plerosque vel dubie, vel minus clare de hac re scripsisse et scriptis suis male affectis mentibus errandi ansam praebuisse, de quibus Arcudius lib. 3. cap. 31. brevem, sed

aptam et prudentem mihi videtur tulisse sententiam: „Obscuriores nimirum a clarioribus exponendos, et paucos cum pluribus consociandos, vel majorum et doctiorum et longe plurium auctoritatem sequendam“ et ipsi iidem, qui concilio Florentino interfuerunt, verbis Christi vim omnem hujus sacramenti, sacrificiique perficiendi, catholica confessione concesserunt. Interrogati namque a supremo utriusque ecclesiae pastore Eugenio IV., cur ad Christi verba preces illas consecrationem a Deo expostulantes adderent, perinde ac si nondum foret sacramentum completum? Illi fidem sensumque ecclesiae suae professuri: quatuor e suis praecipuos, qui totius conventus nomine responsum Summo Pontifici ferrent delegerunt, Russiae, Nicaeae, Trapezuntii, Mitylenes episcopos, a quibus Eugenio nunciatum est: nullum ecclesiam graecam de consecratione sensum tenere, qui non foret orbi toti Christiano communis. Est autem facti hujus narratio in concilio hoc pacto expressa. De divino item sacrificio quaesitum est a Latinis: quomodo prolatis Christi verbis accipite et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum, et illis, bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus etc., et sanctis donis per hae sanctificatis, vos postea hanc additis orationem dicentes. Et fac panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui, quod vero in calice est pretiosum sanguinem Christi tui: tansmutans Spiritu tuo S. Id sic porro resolutum est. Fateri nos diximus per haec verba transmutari sanctum panem et fieri corpus Christi, sed postea quemadmodum et ipsi dicitis. Jube perferri dona haec per manus sancti Angeli tui in supercoeleste tuum altare: ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus S. descendat super nos et faciat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi, et quod in calice preti-

osum sanguinem Christi, transmutetque illa Spiritu suo S., ut fiant accipientibus in emundationem animae, in remissionem peccatorum, non vero in judicium aut condemnationem.“

Verum quamvis haec responsio fidem, et de verbis consecrationis Graecorum plurimorum sententiam aperiat, non tollit tamen omnino cunctam dubitandi occasionem cur ad Christi verba sancti patres Jacobus, Marcus, Basilius et Chrysostomus orationem, Spiritus S. adventum ad corpus Christi efficiendum exoptantem addiderint. Auctor ulterius provocans ad eruditum Bessarionem et Arcudium tenebras hujus quaestionis densiores hoc eleganti pacto tollit: „Ne jam ergo quod actum est agere studeamus, superest, ut si quis lucis splendor aliorum labori adjungi queat, novis adinventis illum afferre moliamur. Post prolatum itaque cum Christi Domini sermonem, quo panis et vinum in corpus et sanguinem ipsius convertuntur: ecclesiam velut pro eo consecrando et sub speciebus eucharisticis substituendo, Spiritus S. virtutem suis precibus advocare docuerunt patres liturgiarum auctores. Primo, quia licet certo certius teneat ecclesia solis Christi verbis hoc mysterium posse perfici, (nunc jam utique multi theologi alium habent persuasum) horret tamen animus, mens titubat, affectus refugit sine precibus aut hostiam consecrare, aut hoc irreligioso more consecratam recipere, ideoque ad id, quod sibi magis expedit et imitando mysterio congruit, ad laudes Dei, verbi ejus praeconium, precesque maxime pro ipsa consecratione obtinenda fundendas, recurrit. Licuit enim semper, imo et Deus ipse gaudet nos promissa sua, quibus tamen eum non stare est impossibile, precibus nostris sollicitare, et ut adimpleantur, orationibus urgere. Spontanea quippe est et libera, aeque ac donum, doni

promissio: et ut spontanea, doni pretio comparatur. Ut itaque doni a Deo promissi, nulla vi impedienda, nullaque arte defectura, precum multarum instantia, praeveniri potest collatio; quis enim neget post pollicitum Abrahae filium pro ejus exortu nullas preces ipsum fudisse, aut post promissam a Christo Spiritus S. certissime in eos illapsuri donum, illud fervidis (quod et asserit scripturae) orationibus non expetiisse? Aut quis non videat ecclesiam latinam pro consecratione, indubie Christi verbis adimplenda, orare? ita et doni jam obtenti supraque vires et merita collati possessio, votis omnibus expeti potest et postulari non eo quidem fine, ut de novo comparetur, sed ut pacifice teneatur et voluptas ex ejus fruitione orta crescat, foveatur, confirmetur. Illud vero hic maxime praestandum occurrebat, ubi cum ante consecrationem, nulla quae ea peteret, facta fuisset oratio, ipsa vero eadem consecratio cum vires et merita sacerdotis excedat, secum saltem ut comitem illam debet deducere, verbis tamen, quibus perficitur consecratio, cum adjungi nequiverit, nil mirum, si spatio aliquo dato, e latente mentis et cordis sinu educatur et Deo offeratur, comparata non tempori quo profertur ore, sed potius praeterito consecrationis momento, quo fieri debuerat... Christo ut praecipuae et a nullo pendenti causae sacramentorum quidem omnium producendorum virtus conceditur, solet tamen ecclesia graeca, ut verum exigit, similes ubique partes in agendo sancto Spiritui tribuere; hinc in Baptismo ut aqua virtute, operatione et adventu Spiritu S. sanctificetur; in Confirmatione vel Extrema Unctione, ut par beneficium sacrum chrisma vel oleum infirmorum accipiat, preces, easque ferventes emittit; commemorat in Poenitentia Spiritus S. donum ad solvenda delicta, gratiam quoque ejusdem in Ordine praedicat,

cum jam itaque Christi virtutem verbis ejus manifestam et illius opus agnitum supponat, effectum pariter Spiritus S. expostulat καταπέμψον τὸ πνεῦμα σοῦ τὸ ἅγιον etc. inquit, ut opus modo nostro concipiendi ab eo dependens, ab eo quoque procedere agnoscatur. Nam et in ordine licet Pontifex Graecus manuum impositione, velut materia, verbis sacris gratiam Spiritus S. commemorantibus, velut forma, sacramentum perfectum esse commonstraverit, ad preces nihilominus, quibus Spiritum S. advocat fundendas convertitur, ut a se latenter opus praestitum, manifeste suis partibus absolutum esse appareat: „Oremus — inquit — ut super eum adveniat Spiritus S., cujus tamen gratia eum ad aliquem ecclesiae gradum jam promotum esse declaraverat et proprio oris praeconio ordinem adeptum fuisse praedicaverat . . . Non recenter ergo exorta consecratione panis et vinum immutantur, sed potius ipse Christus sub donis jam immutatis praesens, novae ut ita dicam mutationi subjacere apparet, dum hucusque latentis ejus majestas publicatur et nostri causa Spiritus S. donis de novo augetur ac cumulatur. Graeci scriptoris auctoritate, miraculorum testimonio, sanaque, ut reor, conjectura fundatur haec a nobis ultimo adinventa prolataque expositio. Auctoritas Neophyti Rhodini est dicentis: „In plerisque iisdemque correctissimis Euchologiis haec verba, qui ea transmutasti Spiritu tuo S. parenthesi inclusa leguntur, hoc pacto fac panem quidem istum pretiosum corpus Christi tui et quod est in calice, pretiosum sanguinem Christi tui (transmutasti enim ea Spiritu tuo sancto) esse suscipientibus ad animae sobrietatem“ etc.

Alii ne ἐπίκλησις necessitatem et vim verborum Christi excludere videantur, ea uberes fructus sacrificii a Deo peti autumant. Favere huic interpretationi digno-

scuntur verba liturgiae S. J. Chrysostomi „μεταβαλὼν τῷ πνεύματι σοῦ τῷ ἁγίῳ“ quae inseruntur, postquam recitata est invocatio super calice.

Nos ob respectum in piam ἐπικλήσεως antiquitatem minime volumus illam expungi. Maneat in perpetuum instar monumenti memoriae causa a priscis nobis relicti, ast istum illi sensum opinamur esse adjungendum, ut adhibitione epiclesis minime censeatur vis verborum Christi negari, sed quod divina potentia momento consecrationis effecit, cum tarda sit lingua humana, tardius per illam explicari. Qoniam ea id petitur, quod Deus infallibiliter jam largitus est, multis paradoxi instar illa apparet, ast hi obliviscuntur, quod pluries adhuc in liturgia hujusmodi preces occurrant, prout tam ante quam post consecrationem iteratur petitio eorum, quae Deus infallibiliter daturus est.

Quaecunque jucundior sit ex multis interpretationibus epicleseos, illa certe pro nobis unitis excludi debetur schismatica, quae docet in liturgia nostra transmutationem in ἐπικλήσει fieri oportere, esse ac posse, quoniam hoc asseverare perinde est, ac erroris inconsequentiaeque arguere ipsum divum auctorem, quod nuper auditis ejus contrariis effatis injuriosum illi ac plane impium dicendum. Ceterum talis invocatio Spiritus S. pro consecratione seu Epiclesis in omnibus liturgiis occidentalibus quoque continetur, ast — ut meminimus — istic ante consecrationem.

Modo implorat sacerdos fructus s. donorum adstantibus fidelibus communicari verbis: „Ut fiat accipientibus in sobrietatem animae, ad remissionem peccatorum, in communicationem S. Spiritus, in regni coelorum plenitudinem, in fiduciam erga te, non in delictum aut damnationem.“

18. §.

Pars quinta canonis Eucharistiae.

Per consecrationem s. dona totius mundi sacrificium fiunt, contendente S. J. Chrysostomo „uniens mundum coelestem cum sublunari i. e. omnes fideles in coelo et terra inter se invicem ac cum Christo“, qui tamen diversimodo referuntur ad illud, cum alii horum jam acceperint mercedem alii exspectent, sive remissione peccatorum indigeant. Inde sacerdos qua intercessor omnium pro diversis indigentiis obsecrat Deum, in primis ecclesiae mentionem faciens coelestis: „Item offerimus tibi rationale hoc obsequium pro his, qui in Christo requiescunt, pro Majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Praedicatoribus, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, Continentibus et quovis spiritu consummato“ Alta voce: „Praesertim pro sanctissima, illibata, super omnes benedicta, gloriosa, regina nostra Deipara et semper virgine Maria“, Chorus: „Dignum est certe te laudere Deiparam, quae semper beatificanda es, et ab omni noxa exempta, quae mater es Dei nostri, prae Cherubim veneranda et Seraphim sine comparatione gloriosior, quae citra corruptionem Deum Verbum peperisti, te, quae vere es Deipara, magnificamus.“ Offerri dicitur sacrificium pro patribus antiquis, scilicet ab Adamo et Eva usque ad Melchisedech ac Abraham victis; patriarchis, ab Abraham descendens honorificum genus Israel, cui dedit testamentum circumcisionis (Act. Ap. 7., 8.) et ex quibus est Chri-

stus . . . Deus benedictus in saecula (Rom. 9., 5.); prophetae, apostoli ac martyres, quorum quidam in προσκομιδῇ quoque memorantur; Evangelistis, in primaeva ecclesia hoc nomine nuncupatis, qui apostolis in praedicando verbo divino in adjutorium fuerant (Ef. 4. 11. Act. Ap. 21., 8.); praedicatoribus (κήρυκες), quamvis hac voce verbum Dei annunciantes signentur, uti v. gr. Noe praeco justitiae (II. Petr. 2., 5.), S. Paulus praedicator et apostolus gentium vocatur (II. Tim. 1., 11.), tamen maxime diaconis convenit, utpote quorum ministerii proprium fuerat officium annunciandi; confessoribus, quales sunt sancti in confitenda fide varios cruciatus perpessi; continentibus (εγκρατευταί), sic appellatur chorus illorum, qui in exercitio jejunii aliarumque virtutum praesertim theologicarum elucebant, uti fuerant ἀσκεταί et hodierni monachi. Tandem „ante alios memoriam usurpat virginis Dei matris, quae ipsum clauso utero peperit testans et in hoc, nobis cum sanctis societatem intercedere et per istud sacrificium nos illorum consortes esse, qui fiduciam apud diligentem et dilectum habeant, qua nos ei reconciliare et unum cum eo efficere queant." Sim. Thessal. apud Goar o. c. p. 190.

Omnes hi non ideo memorantur, ut quasi in remedium aut suffragium eorum oblatio fieri appareat, sed ut eorum nomine, propter dona coelitus illis exhibita in Dei gloriam omnino cedat. Hoc pacto Cajus pontifex, — apud Ciaconium in vita ejus legitur, — a die quo Susanna neptis ejus percussa est, jugiter pro ejus commemoratione obtulisse, non quo pro illa oraret, alias Martyri injuriam irrogasset, sed ut pro ejus gloria ampliores ageret gratias ac ejus in se patrocinium accerseret. Apte ideo Cabasilas in hunc locum notat: „Haec verba sunt, in quibus nulla continetur pro sanctis supplicatio, nec

eis sacerdos quidquam consuetum precatur, sed aliorum quidem fidelium, qui dormierunt, agens memoriam confestim pro eis orationem adjicit, fac eos, inquit, requiescere, ubi lumen vultus tui respicit. In sanctis vero oppositum omnino considerandum contingit. Non etenim pro eis velut legatus interpellat, quin potius intercessores eos statuit. Enumeratis namque sanctis subdit: quorum precibus adjuva nos Deus."[1])

Modulus: „Ἄξιόν ἐστιν ὡς ἀληθῶς etc." jam in S. Jacobi liturgia reperitur dignissimumque Deiparae honorem exhibet juxta illud: „Praeclaram velut coronam, divinum tuum partum, hostium phalanges abigentem et viribus eos exsuperantem, natura suscepit: propterea gratiarum decore te adornantes laudes tuas canimus, semper celebranda Domina." (Offic. s. Olei). In exposito B. V. Mariae hymno velut echum audimus resonare illius: „Tota pulchra es amica et macula non est in te etc.", quo Spiritus S. suam sponsam electam multo prius antequam in mundo apparuisset, glorificaverat. Tunc siquidem soli Deo immaculata ejus pulchritudo nota fuerat, cujus admirabilem Deus splendorem a longinquo ostenderat prophetis, et hi admiratione percussi caliginosis canebant verbis de futuro radicis Jesse flore. Nunc, cum candidum inter spinas lilium in pleno suo splendore, cui similem mundus hactenus non vidit, imo neque praesagivit, effloruerit, concelebrant eam simul coeli ac terra et celebratio ipsius usque in saecula saeculorum durabit. Idcirco ecclesia quoque frequentius instantiusque ad B. Mariam Virginem, quam ad sanctos et angelos orat, porro orationi Dominicae salutationem angelicam adjungit, publicas preces illi offert, plures dies festos illi habet dicatos atque soliditates pias sub ejus titulo erectas fo-

---

[1]) Goar o. c. p. 123.; Cyrillus Hieros. catech. 5.

vet, commendat, indulgentiisque copiosis ditat. Hic idem intenditur in allato hymno finis, — scilicet glorificatio Mariae, — in quo velut in brevi extractu etiam motiva exponuntur laudis B. V. Mariae verbis, in quibus profunditas et fervor sensuum una cum excellentia cogitatorum harmonice convenit, quare hymnus hic in ritus nostri ceremoniis privatisque orationibus saepe saepius occurrit.

Maria est sol et oblectatio coelorum, quia sancta magnificaque est et ipsis „Seraphim sine comparatione gloriosior“, fons spei inexhauribilis tum ecclesiae patientis tum militantis, quia ut in hymno continetur „Deum Verbum peperisti“. Maternitas quippe divina est radix et causa ceterarum omnium perfectionum, necnon illius singularis privilegii, quo sit mediatrix ad mediatorem, ita ut cuncta gratiarum dona beneficiaque ex voluntate Dei per Christi quidem merita, ast simul per intercessionem SS. Deiparae a Deo nobis communicentur juxta illud:[1]) „In me omnis spes vitae et virtus, in me omnis gratia vitae et veritatis“, dicente enim Angelico:[2]) „Beata Virgo ex hoc, quod est mater Dei, habet quamdam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus.“

Ulterius sacerdos orat secreto: „S. Joannis Prophetae, Praecursoris ac Baptistae, Sanctorum et percelebrium Apostolorum, Sancti (N) cujus memoriam celebramus et omnium sanctorum, quorum precibus protege nos Deus, et memento omnium, qui praedormierunt in spe resurrectionis aeternae vitae“. Hic sacerdos memoriam agit, quorum vult mortuorum dicens: „pro requie et

[1]) Eccli. 24., 25.

[2]) Summa Theologica 1. q. 25. a. 6. ad. 4.

remissione animae servi tui (N) in loco lucido, a quo abest dolor et gemitus: et fac eam quiescere, ubi circumspectat lumen vultus tui. Praeterea te rogamus, memento Domine omnis orthodoxi Episcopatus eorum, qui verbum veritatis tuae recte tractant et dispensant, omnis Presbyteratus, in Christo Diaconatus et omnis ordinis sacerdotalis. Etiam offerimus tibi rationale hoc obsequium pro orbe terrarum, pro sancta catholica et apostolica ecclesia, pro iis, qui in castitate et veneranda vitae agendae ratione degunt, pro fidelissimo et Christo amantissimo nostro rege, toto palatio et castris ejus. Da ei Domine regnum pacificum ut nos quoque in ipsius pace tranquillam et quietam vitam agamus in omni pietate et honestate." Alta voce: „In primis memento Domine devoti Episcopi nostri (N), quem honoratum, salvum, longaevum, verbum veritatis tuae bene tractantem tuis sanctis ecclesiis largire." Chorus: „Et cunctorum et cunctarum." Sacerdos vero continuat secreto: „Memento Domine civitatis, in qua habitamus, et omnis urbis et regionis et cum fide habitantium in ipsis. Memento Domine navigantium, iter agentium, laborantium, captivorum et salutis ipsorum. Memento Domine eorum, qui fructum afferunt et bene operantur in sanctis tuis ecclesiis et meminerunt pauperum et in omnes miserationis tuas demitte."

Animae in purgatorio pacem et quietem habent, utpote certae de aeterna beatitudine ac liberae a tentantionum bello; at flammis torquentur et a divino conspectu arcentur, quocirca deprecamur, ut misericors Deus recludat iis locum, „a quo abest dolor et gemitus“, condonetque ipsis pacem seu felicitatem perfectam.

Origo sacrificandi pro defunctis deprecandique Deum ut hi remmissionem obtineant ab eo peccatorum, antiquissima est apud fideles. Narrante enim s. scriptura Judas Machabaeus ex tesauris contra legem spoliatorum idolorum[1]) apud occisos in proelio fratres celatis ac inventis, collegit duodecim millia drachmas argenti, quas Jerosolymam misit „offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans,“[2]) „nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis“. Idcirco optat S. Paulas[3]) defuncto Onisephori, ut „det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die;“ proinde et S. Joannes Chrys.[4]) initium hujus consuetudinis recte ad aevum revocat Apostolorum.

Rationes orandi in ecclesia pro defunctis ad sequentia reduci possunt. Membrum ecclesiae in concomitantia orationum illius tendit ad aeternitatem; nostra vero desideria prosequuntur illum istuc quoque, quoniam mors non ponit limitem charitati christianae etiam postquam anima regnum assecuta est coelorum, quippe quae ibidem vicissim pro nobis Deum deprecari valet. Ex altera parte fideles orationibus, sacrificiis, aliisque bonis operibus animabus adhuc detentis succurrere possunt. Hae pre-

---

1) Deut. 7., 25.

2) II. Mach. 12., 39., 46.

3) II. Tim. 1., 18.

4) Hom. 3. in ep. ad. Philippenses.

ces non solum defunctos, imo nos etiam auxiliantur, cum in memoriam nobis revocent resurrectionem corporum atque spiritum ad salutarem incitent considerationem de morte, vitamque meliorem ducendam. Illae quasi vivificant ope memoriae dilectos, qui nos brevi praedecesserunt spatio temporis, et quos nos indubie secuturi sumus, operam navando tali modo ecclesiae adstruendi pulchram suam doctrinam de communione sanctorum.[1]) Quamobrem orationes pro defunctis in omnibus antiquis inveniuntur liturgiis.[2])

Mos erat antiquitus nomina defunctorum et quorumdam vivorum ex tabulis ad hunc finem comparatis perlegere, quae communiter δίπτυχα=tabulae duplicatae nuncupabantur, usus quarum duplex, nimirum prophanus et sacer fuit. Inter diptycha prophana eminent: consulum, quaestorum etc., quae eorum nominibus inscripta ac imaginibus adornata fuerant et quae ipsi ad amicos mittebant. Sacer in ecclesia adhibebatur, cujus tria genera in ecclesia graeca observant viri docti; primum episcoporum, alterum vivorum (δίπτυχα ζώντων), tertium martyrum (δίπτυχα νεκρῶν), quorum nomina sacrificii tempore recitandi causa in hujusmodi tabulas conscripta fuerant.

Diptycha episcoporum illa nuncupant, in quibus praesulum integritate ac sanctitate inclarescentium vitaque functorum nomina exarabantur. Quemadmodum in diptychis scribi instar canonisationis erat, sic ex istis deleri perpetuae designabat infamiae notam, quod in haereticis potissimum, aut schismaticis vel etiam ignominia infectis jubente Summo Pontifice, cujus id munus erat, contingebat. Sic v. gr. refert Anastasius in Aga-

---

1) Dmitrewskij o. c. p. 290. sq.

2) Const. Apost. lib. 8. cap. 12.; Liturgiae S. Jacobi, Marci, Petri etc.; S. Cyrilli Hier. cat. 5.; S. J. Chrysostomi hom. 41. in I. Cor.

thone PP. pag. 55.: „Deinde abstulerunt de diptychis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiae figuras eorum, aut in foribus, ubi esse poterant auferentes, id est Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error orthodoxae fidei pullulavit."

Secunda classis diptychorum dicebatur vivorum, de quibus observat Kirchenlexikon:[1]) „In welche der Papst, die Patriarchen, die Bischöfe und Priester, die Darbringer der eucharistischen Gaben, die Wohlthäter der Kirche, die Cleriker aller Ordnungen, die Kaiser und Könige sammt ihren Gemahlinen, sowie einzelne hervorragende Persönlichkeiten eingeschrieben waren. In den ältesten auf uns gekommenen Diptychen und in den ältästen Liturgien zeigt sich, dass auch die Namen der seligsten Jungfrau, der Martyrer und anderer heiligen eingetragen waren, woraus Donati (De'dittici degli antichi 64) folgert, dass diese Diptychen den Kalendarien Ursprung gegeben haben, aus welchen später die Martyrologien hervorgingen."

Tertium diptychorum genus dicebatur mortuorum, eorum nempe omnium, qui in fide obdormierant. De his animadvertitur ibidem: „Im allgemeinen kann man sagen, dass dieselben Personen, welche bei ihren Lebzeiten in Liber viventium namentlich aufgeführt waren, nach ihrem Ableben in das Diptychon mortuorum eingeschrieben wurden, wenn sie in der Gemeinschaft mit der Kirche gestorben waren und einen guten Ruf hinterlassen hatten."

Usus diptychorum ex antiquissimo tempore repeti potest, siquidem in B. Dionysii de Eccl. Hier. cap. 4. illorum clara mentio claris verbis occurrit: „ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησις γίνεται=secreta fit sacrarum

---

1) Wetzer und Weltes Kirchenlexikon sub hac voce p. 1815.

tabularum recitatio.“ Similiter in liturgia B. Marci. In ecclesia latina tempore Caroli Calvi δίπτυχα adfuisse, constat ex Flori magistri missae expositione tunc florentis, qui usus illorum testem se praestat, dicens: „Usus fuit antiquorum (post verba memento Domine famulorum famularumque) sicut etiam Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis sive tabulis nomina defunctorum, atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia ipsis Domine etc.“ In ecclesia graeca Joannes Patriarcha hunc jussit ordinari morem legendi, ut prius quatuor Synodos, dein defunctorum nomina legerentur, ad quod observat Goar: „Tempore Diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare et audiebant. Et cum solae lectae fuissent a Diacono appellationes praedictarum quatuor sanctarum synodorum et sanctae memoriae Archiepiscoporum Euphemii et Macedonii et Leonis, voce magna universi clamaverunt: gloria tibi Domine.“[1])

Ex historia facile colligitur, in diptychis non solum episcopos, sed alios quoque locum habuisse, qui nempe circa ecclesiae Christi prosperitatem majora sibi compararunt merita. Caeterum praeter diptycha, polyptycha quoque in sacris invenimus, libros scilicet pluribus discretis foliis — tota eorum facie expansa — compactos, ad voluminum discrimen, quorum folia extremitatibus assuta circa lignum cylindricum volvebantur. Loco diptychorum habemus nunc sic dictas „hramotas“ seu librum defunctorum. Ad verba: „ὑπὲρ ἀφέσεως τῶν ἁμαρτιῶν“ notat Goarius:[2]) „Ut defunctis beatitudinem, ita viventibus peccatorum veniam a Deo precantur Graeci. Haec praecipua apud illos, haec summa benedictionum omnium, haec amoris indicium,

[1]) Goar o. c. p. 123.

[2]) Ibidem.

haec tandem pro beneficio ex grato animo merces: „Ὁ Θεὸς συγχωρήσῃ σου=veniam Deus tibi largiatur.“ „Boh da prostit“ ut communiter hodie quoque usitatur a Slavis.

Post mentionem factam mortuorum recordatur sacerdos ecclesiae militantis in terra, atque in primis — ut decet — episcopatus, dein presbyteratus, diaconatus etc. juxta ordinem officii et perfectionem gratiarum. Mox specialiter quoque tenetur episcopi proprii nomen commemorare, cui implorat inter alia, ut verbum veritatis bene tractans fiat juxta illud Apostoli:[1]) „Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis“, quibus b. Apostolus in persona Timothaei cunctos admonet episcopos enixe comissae gregis saluti invigilare, quemadmodum pastores decet. Pro regibus preces fiunt, quia omnium saluti corporeae invigilare obstringuntur. Demum alios quoque status commemorat eo fine, ut pro tota ecclesia militante sacrificium applicetur et cuique gratia implorata impertiatur secundum mensuram indigentiae et beneplacitum Dei, „nam — contendente Simeone Thessal.[2]) — et sanctis incrementum gloriae sacrificio illo accedit et fidelibus ut dictum est, divinae misericordiae distributio impenditur.“

Istiusmodi precum institutionem ab ipso antiquo testamento repetere oportet, in quo nimirum Pontifex Sancta Sanctorum tamquam universi summus sacerdos ingrediens, pro toto orabat genere humano pro cunctisque rebus, terra, aqua etc. Hoc idem jubet s. apostolus Paulus[3]) dicens: „Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro

---

1) II. Tim. 2., 15.

2) Goar o. c. p. 193.

3) I. Tim. 2. 1.

omnibus hominibus;" S. J. Chrisostomus vero:[1]) „Eum qui pro tota civitate, quid dico civitate, imo vero pro universo terrarum orbe legatus intercedit, precatorque est apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo, sed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quaeso esse oportet etc." Ad omnes has preces chorus respondet: καὶ πάντων, καὶ πασῶν, quae voces cum verbo μνήσθητι construi debent, ad significandum neminem esse a precibus exclusum et quidem recte, cum per manus sacerdotis ipse populus offerat indicante oratione: „Memento omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus". Plura apud Cyrillum Hieros. catech. 5. mystag. Utitur masculino πάντων et feminino πασῶν ad repraesentandum genus masculinum atque genus femininum hominum, quorum singillatim nomina solus Deus scit, sive verbis liturgiae S. Basilii M.: „Ipse Deus recordare, qui scis uniuscujusque aetatem, appellationem, qui nosti unumquemque ex utero matris suae etc."

19. §.

Pars sexta Canonis Eucharistiae.

Oblatio sacrificii pro universo mundo atque gratiarum actio per consvetum orationis usum nempe glorificatione Dei completur: „Et tribue nobis uno ore et uno corde glorificare et laudare venerandum et magnificum nomen tuum Patris et Filii et Spiritus S. nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen". Sacerdos convertit se ad portam ceu ad populum ac be-

[1]) Lib. 6. de sacerdotio num. 4.; Dmitrewskij o. c. p. 306.

nedicens alta voce inquit: „Et sint misericordiae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis". Chorus: „Et cum spiritu tuo."

Glorificatio modo allata ex oratione S. Pauli[1]) est sumpta: „Deus autem patientiae et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et patrem Domini nostri J. Christi". Talismodi donum sacerdos quoque adstantibus hic implorat interpretante S. Germano: „Oramus tibi Domine, sicuti in glorificationem tuam una ora et unum cor, ita etiam unum spiritum et unam animam condona nobis, ut uniti vinculo charitatis, cum fiducia valeamus proposita mensa perfrui, et digni s. mysteriis efficiamur, glorificantes ac celebrantes venarandum atque magnificum nomen tuum Patris et Filii et S. Spiritus." Populus autem et respective loco hujus chorus in confirmationem omnium horum atque manifestationem suarum precum ad Deum per sacerdotem directarum unanimiter exclamat: „Amen", convenientissime exhibens consensum suum peracto operi ipseque praebens coronam canoni Eucharistiae.[2])

20. §.

Continuatio.

Modo incipiunt preces super donis consecratis, ad quas persolvendas fideles iterum in forma ecteniarum adhortantur: „Omnium sanctorum memoriam agentes, etiam atque etiam Dominum precemur". Chorus: „Domine miserere". Sacerdos:

---

[1]) Rom. 15., 5., 6.

[2]) Dmitrewskij o. c. p. 308.

„Pro oblatis et sanctificatis, pretiosis donis, Dominum precemur". Chorus: „Domine misere". Sacerdos: „Ut clemens Deus noster, qui ea in sanctum et supercoeleste, intellectuale suum altare suscepit in odorem spiritualis suavitatis, nobis divinam gratiam et Sanctissimi Spiritus donum rependat, Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere." Sacerdos: „Ut ab omni afflictione, ira, periculo et angustia liberemur, Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere." Sacerdos orat secreto: „Tibi benigne Domine omnem vitam et spem nostram commendamus et rogamus et oramus et supplicamus, ut supercoelestium et tremendorum mysteriorum sacrae hujus et spiritualis mensae cum pura conscientia mereamur esse participes, in remissionem peccatorum, in condonationem delictorum, in Spiritus S. communionem, in regni coelorum haereditatem, in fiduciam apud te, non in judicium aut condemnationem."

Sub sanctis intelliguntur 1. supra memorati apostoli, evangelistae, martyres etc., et 2. omnes fideles defuncti ac viventes, quorum nomina ex diptychis perlecta fuerant. Nominabantur autem fideles in primaeva ecclesia sancti, partim quia in ecclesiam in coetum sanctorum solummodo post probatam vitae integritatem suscipiebantur, partim quoniam excellentes virtutes eorum undique sanctitatem spirabant.[1]) Ulterius illico assignatur et finis, cur orationes profundantur oportet, qui est, ut Deus sacri-

[1]) Act. ap. 9., 13.; Efes. 3., 18.

ficium peractum in supercoeleste suum altare benigne suscipere dignetur. Dicitur „in super coleste suum altare" i. e. in sublime illud altare, de quo Joannes[1]) evangelista ait: „altare aureum, quod est ante thronum Dei". Idem vocatur altare spirituale quoque (νοερὸν θυσιαστήριον), quod nos, utpote a sensibus nostris remotum atque in altis elevatum[2]) corporalibus oculis non perspicimus, sed tantum mentaliter consideramus, contemplamur; dumtaxat per fidem attingimus secundum illud Apostoli:[3]) „Quae sursum sunt, quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens," ubi ille ex amore erga nos perpetuo sacrificatur coram justitia divina, „non enim in manufacta Sancta Jesus introivit exemplaria verorum, sed in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis,"[4]) „semper vivens ad interpellandum pro nobis,"[5]) „tradidit enim semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis",[6]) „quem advocatum habemus apud Patrem"[7]) „implorantem ac mittentem nobis unde gratiam atque dona Spiritus S. in nostram sanctificationem, pro quibus et diriguntur preces expositae.[8])

Phrasis „in odorem spiritualis suavitatis" est propria nomenclatio sacrificiorum antiqui testamenti a Deo benigne acceptatorum. Sic legitur de sacrificio Noe:[9]) „Odoratusque est Dominus odorem suavitatis," vel „primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare

---

1) Apoc. 8., 3.
2) Marc. 16., 19.; Luc. 24., 21.: Act. Ap. 1., 9.
3) Col. 3., 1.
4) Hebr. 9., 24.
5) Rom. 8., 34.
6) Ephes. 5., 2.
7) Ioan. 2., 1.
8) Dmitrewskij o. c. p. 310. n. γ.
9) Gen. 8., 21.

vero non imponentur in odorem suavitatis"[1]) etc. Unde transsumpta a S. Paulo[2]) ab eo vero in preces ecclesiae. Nicolaus Cabasilas in opere suo de interpretatione liturgiae cap. 34. sensum totius hujus ecteniae hoc pacto aperit: „Precemur dominum, dicit Diaconus, pro oblatis donis, non ut consecrationem accipiant, cum consecrata sint, sed ut illam nobis impertiant, hoc significat enim, quod dicitur: „ut clemens Deus noster, qui ea . . . suscepit, . . . nobis divinam gratiam rependat; precemur inquit, pro oblatis donis, ut efficaces (sint) fiant in nobis."[3])

Orationis „Tibi benigne Domine" in praesenti forma ipse S. J. Chrysostomus est auctor, praeparanturque per eam fideles ad digne suscipienda sacra, ut cum pura conscientia mereantur tremendorum participes esse mysteriorum in fiduciam apud Deum, non in judicium, aut condemnationem. Notatione dignum est, eam ferme iisdem verbis in omnibus antiquis liturgiis[4]) inveni ac adhiberi, quae mutuitas non potest aliam habere causam, nisi quod cunctae ex eodem fonte sint exhaustae et quod in omnibus liturgiis hoc momentum ad unum ac illud designatum sit objectum, ut nempe fideles quantum fieri potest, digni reddantur ad jam-jam percipiendam communionem fructusque ejus.[5])

Modo prosequitur per orationem interruptas ectenias dicens: „S u s c i p e s a l v a, m i s e r e r e e t c u s t o d i n o s D e u s t u a g r a t i a." Chorus: „D o m i n e m i s e r e r e." Sacerdos: „D i e m o m n e m p e r f e-

---

[1]) Lev. 2., 12.

[2]) Ephes. 5., 2.

[3]) Dmitrewskij o. c. p. 311.

[4]) S. Jacobi; Conit. Ap. lib. 8, cap. 13.

[5]) Dmitrewskij o. c. p. 314.

ctum etc." ut supra usque ad intonationem orationis Dominicae, quae fit per verba: „Unionem fidei et communionem Spiritus S. petentes, nosmetipsos et invicem et omnem vitam nostram Christo Deo commendemus." Chorus: „Tibi Domine." Sacerdos adhuc magis elevata voce: „Et dignos facias nos Domine, cum fiducia et sine crimine audere invocare te, super coelestem Deum patrem et dicere." Sacerdos, chorus et universus populus cantant simul: „Pater noster etc." in fine sacerdos exclamando: „Quia tibi convenit regnum et virtus et gloria Patri et Filio et S. Spiritui nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen." Sacerdos: „Pax omnibus." Chorus: „Et cum spiritu tuo."

Igitur completis precibus et gratiarum actionibus ob perpensa Spiritus S. dona, sacerdos gregem sibi commissum, filios suos spirituales propius attracturus tremendae communioni SS. Eucharistiae simulque confortaturus illos contra illecebras pusillanimitatis, fideliter manuducit ad orationem Domini, convenientissime obsecrans antecedenter Deum, ut dignetur per gratiam adoptatos filios suos cum fiducia et sine crimine se Deum patrem dici. Tali modo inflammatus coetus cum plena fiducia canit orationem ab ipso unigenito Filio Dei nobis traditam „Pater noster", sacerdos vero expansis manibus afferens eam Deo, qua fonti atque largitori omnium bonorum, „qui potens est omnia facere superabundantius, quam petimus, aut intelligimus secundum virtutem, quae operatur in nobis",[1]) egregiam coronam imponit toti operi per animosam conclusionem „quia tibi

[1]) Ephes. 3., 20.

convenit regnum" etc., affirmative respondente ad hanc glorificationem populo: „Amen". Oratio Dominica quasi conjungit partem praecedentem, in qua primaria ratio sacrificii „sanctificetur nomen tuum etc." cum subsequenti parte, in qua praecipue intenditur sanctificatio hominis per SS. Eucharistiae participationem; „panem nostrum quotidianum etc.". Septem illius petitiones mystice designant Dominum septem verba in cruce proferentem.

SS. patres unanimiter contestantur orationem Dominicam veteres maximo in honore habuisse. Ab ipsius Salvatoris temporibus adhibetur illa in ecclesia et semper qua sublimissima orationis forma et speculum agnita fuerat precum, adeo, ut concorditer in quolibet actu vitali necnon privatis devotionibus nunquam omittatur. Tertullianus eam abbreviationem totius evangelii appellat et in quantum — inquit — brevis est verbis, in tantum abundat sensibus. S. J. Chrysostomus[1]) vocat eam uti supra indicavimus orationem fidelium. Pariter extollit illam S. Augustinus in serm. 119. de tempore, S. Cyprianus in interpret. orationis dominic. etc. Salutatio εἰρήνη ὑμῖν pluries in liturgia iteratur ad spiritualem cohaerentiam mutuationemque orationis sacerdotem inter et populum excitandam atque augendam, de qua observat S. Chrysostomus:[2]) „In Ecclesiis pacem, in supplicationibus. Et semel, et bis, et ter et saepius eam dat Ecclesiae praefectus: pax vobis dicens. Quare? Quia ipsa mater bonorum omnium est."

Postea sacerdos clara voce fideles admonet: „Capita vestra Domino inclinate." Chorus: „Tibi Domine" atque interim sacerdos una cum

[1]) Hom. 10. in ep. ad. Coloss.

[2]) Hom. 3. in ep. ad Coloss.

populo inclinatus secreto orat: „Gratias tibi agimus, Rex invisibilis, qui infinita tua potentia cuncta condidisti et multitudine misericordiae tuae e nihilo ad esse universa deduxisti. Ipse Domine, ad eos, qui tibi capita sua inclinaverunt, coelitus respice, non enim inclinaverunt carni et sanguini, sed tibi terribili Deo. Tu ergo Domine, proposita nobis (mysteria) juxta uniuscujusque necessitatem cunctis in bonum ex aequo confer. Cum navigantibus naviga, cum iter agentibus viam simul capesse, aegrotos sana medice animarum et corporum,“ alta voce atque manum lavando: „Gratia et miserationibus et benignitate unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es cum Sanctissimo et bono et vivifico tuo Spiritu, nunc et semper et in saecula saeculorum.“ Chorus: „Amen“. Et iterum secreto ast jam expansis manibus orat sacerdos: „Attende Domine Jesu Christe Deus noster de sancto habitaculo tuo et de throno gloriae regni tui et veni ad sanctificandum nos: qui in excelsis cum Patre simul resides et hic una nobiscum invisibiliter versaris; et dignare potenti manu tua nobis impertiri immaculatum corpus tuum et pretiosum sanguinem et per nos toti populo.“

Pulchre capitum inclinationis exponit Cabasilas in opere cit. cap. 35. sensum dicens: „Per orationem Pater noster recordans sacerdos nostrae nobilis generationis, postea imperat Eum, ut Dominum nostrum

agnoscere et debitum servile Ei ostendere et capita Domino inclinare et hoc modo servitutem suam Ei confiteri; inclinant vero non solum, qua Domino, Conservatori ac Deo, sed etiam qua empti servi ementi illos sanguine Unigeniti Filii sui." Modus capitibus inclinatis orandi ab ipsis incunabulis ecclesiae adhibetur apud fideles, qui in obtinenda benedictione episcopali, sive sacerdotali, necnon cum profusuri essent ardentes preces suas pro accipienda misericordia et gratia, item catechumeni ac obsessi in dimissione semper hoc signo exhibebant humilitatem suam ac devotionem. Conveniens est id praecipue hoc momento, quando terribile sacrificium coeli et terrae altari superjacet, quod est ipse Agnus Dei pro nobis immolatus.[1]) In oratione „gratias tibi agimus" secundum Cabasilan (interpr. lit. cap. 35.) sacerdos implorat omnibus, quae necessaria sunt, provocans ad gratiam et charitatem unigeniti Filii, cum sic acceptabiliores fuerunt preces juxta ipsius Salvatoris promissionem: „Omnia, quae in nomine meo petieritis a Patre, dabit vobis".[2])

Hoc pacto appropinquans sacerdos imminenti elevationi hostiae ac distributioni illius, devote praeparat se ad hoc opus oratione: „Attende Domine etc.", quae non est S. Chrysostomi, sed S. Basilii, quemadmodum liquide ex ejus liturgia constat, et per quam invocat Jesum Christum, sedentem sursum cum Patre in throno majestatis suae, ut descendat invisibiliter deorsum sanctificandi gratia omnes, sicut olim in ultima coena fecit eademque „potenti manu nobis impertiri immaculatum corpus suum et pretiosum sanguinem" in communionem ei atque per eum toti populo.

---

[1]) S. J. Chrys. hom. 2. in II. Cor.

[2]) Dmitrewskij o. c. p. 319. n. α.

Dehinc sacerdos ter adorat secreto dicens: „Deus propitius esto mihi peccatori“ tangensque sanctum panem facit sanctam elevationem supra calicem[1]) exclamando: „Attendamus. Sancta sanctis“ = τά ἅγια τοῖς ἁγίοις. Chorus: „Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris. Amen“, atque continuo cantat Communionem diei, intentionis, aut sancti, cujus est festum, sacerdos vero interim attente ac devote perficit fractionem hostiae in quatuor partes dicens: „Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur, et non comminuitur, qui semper comeditur et non consumitur, sed eos, qui sunt participes, sanctificat.“ Tunc accipit unam panis sancti partem, quacum signum crucis super calice exprimens, immittit eam in sanctum calicem dicens: „Plenitudo fidei Spiritus S.,“ quae actio „corporis et sanguinis emixtio“ nuncupatur. Nunc jam in crucis signum expansis manibus inchoat fervidam communionis orationem depracari verbis: „Credo Domine et confiteor, quod tu es Christus Filius Dei viventis, qui venisti in mundum ad salvandos peccatores, quorum primus ego sum. Coenae tuae mysticae hodie communicantem me suscipe. Non enim inimicis tuis mysterium dicam, nec osculum tibi dabo velut Judas, sed ut latro tibi confiteor: memento mei Domine in regno tuo, memento mei Dominator in regno tuo, memento mei Sancte in regno tuo. Dominator clemens Domine J. Christe, Deus meus, ne in judicium aut

---

[1]) Juxta liturgicon Leopolitanum supra discum.

condemnationem mihi fiat vivificantium tuorum mysteriorum participatio, sed in medelam animae et corporis mei. Credo enim confiteorque id, quod accepturus sum, revera tuum verum ac purificum corpus, tuumque verum atque vivificantem sanguinem esse, quaeque precor, efficias me digne accipere, in remissionem omnium meorum peccatorum et in vitam aeternam. Amen." Tum humillimam faciens reverentiam ante ss. corpus inquit secreto: „Pretioso et sancto corpori Domini et Salvatoris nostri J. Christi communico ego indignus presbyter (N.) in remissionem peccatorum et in vitam aeternam. Amen", consumitque illud. Simili modo reverentiam facit coram calice quoque, quem apprehendens secreto dicit: „Pretioso ac vivificanti sanguini Domini et Salvatoris nostri J. Christi communico ego presbyter (N) in remissionem peccatorum et in vitam aeternam. Amen". Quibus peractis accipiens sacerdos s. discum super s. calicem, diligenter abstergit eum purificatorio atque cum attentione devotioneque sanctum calicem velo tegens ac stellam disco imponens, sumit s. calicem cum veneratione attolensque ipsum versus populum alta voce dicit: „Cum timore Dei, fide et charitate accedite." Chorus: „Benedictus, qui venit in nomine Domini, Dominus Deus apparuit nobis." Hoc momento contingit communio populi, qui eadem ut sacerdos ad illam praeparatur oratione, qua completa benedicit sacerdos populum cum calice in forma crucis dicens: „Salva Deus populum tuum et benedic

haereditati tuae." Chorus: „In multos annos Domine. Vidimus Lucem veram, accepimus Spiritum coelestem, invenimus veram fidem, indivisibilem sanctam Trinitatem adoremus, haec enim salvavit nos." Sacerdos vero reversus ad sanctam mensam ait secreto: „Exaltare super coelos Deus et super omnem terram gloria tua"[1])=ὑψώθητι ἐπὶ τοὺς οὐρανοὺς Ο Θεὸς, καὶ ἐπί πᾶσαν τὴν γῆν ἡ δόξα σου, apprehensisque velis cum disco in manum sinistram, calice autem in dexteram postquam cum toto sic composito apparatu per exhibitionem crucis in aere facto venerationem suam ostenserat, incipit secreto dicere: „Benedictus Deus noster" modo ad januam regiam versus populum respiciens continuat alta voce: „perpetuo nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen", protinusque inchoat canticum: „Impleantur labia nostra laude tua Domine celebrandi gloriam tuam causa, quoniam dignos constituisti nos sanctorum tuorum divinorum, immortalium ac vivificantium participes fieri mysteriorum. Confirma nos Deus in sanctitate tua tota die meditantes justitiam tuam. Alleluja."

Verba: „Propitius esto mihi peccatori" quamdam gravioris momenti rem indicant consecuturam, quaeque non videntur aliena esse ab illis[2]) „et rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus" et quibus publicanus quoque usus fuerat.[3])

Phrasis: „Attendamus. Sancta sanctis." ac modulus: „Unus sanctus etc." in omnibus antiquis liturgiis inve-

---

1) Ps. 56., 6.

2) Lev. 4., 20. — 3) Luc. 18., 13.

niuntur. Sic in liturgia Coptitarum,[1]) diaconus: „Cum timore Deo attendamus." Populus: Εἷς πατὴρ ἅγιος, εἷς υἱὸς ἅγιος, ἓν πνεῦμα ἅγιον. Ἀμήν. Iisdem verbis in liturgia S. Gregorii[2]) Alexandrina, Jacobi Baradati, Matthaei Pastoris, Philoxeni Episc. Bagdadensis etc. In liturgia divi Marci: sacerdos: „Sancta sanctis". Populus: „Unus Pater, sanctus, unus Filius, sanctus: unus Spiritus, sanctus: in unitate Spiritus sancti. Amen."[3]) Non alio modo in liturgia communi sive canone universali Aethiopum, necnon in ordine communis liturgiae secundum ritum Syrorum Jacobitarum, ut in liturgia Coptorum.[4]) In liturgia S. Jacobi apostoli fratris Domini: Sacerdos: „Sancta Sanctis in perfectione, puritate et sanctitate traduntur." Tum dicunt omnes simul: „Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Sit nomen Domini benedictum, qui unus est in coelo et in terra: ipsi gloria in saecula. Gloria Patri et Filio et Spiritui S. omnia sanctificanti et omnia expianti".[5]) In liturgia S. Syxti papae romani: sacerdos: „Sanctum sanctis in perfectione et puritate et sanctitate datur." Et dicunt: „Unus P. sanctus, unus F. sanctus, unus Sp. Sanctus. Gloria P. et F. et Sp. S."[6]) In liturgia S. Petri principis apostolorum II. aeque in liturgia S. Clementis Romani et S. Dionysii Athenarum episcopi, S. Ignatii, S. Julii Papae Romani, porro S. Jacobi Episcopi Botuanensis et Serugensis, Syrorum doctoris, qui Tabelita etiam vocatur,

---

[1]) Eusebii Renandotii „liturgiarum orientalium collectio", Parisiis, 1716. t. i. p. 23.

[2]) Ibidem p. 122.

[3]) Ibidem o. c. p. 161.; t. 2. p. p. 340., 352., 407.

[4]) Ibidem o. c. p. 519. sq.; t. 2. p. 23.

[5]) Ibidem o. c. p. t. 2. 40.

[6]) Ibidem o. c. p. t. 139.

Jacobi Edesseni, Thomae Heracleensis, Mosis Bar-Cephae, Doctorum Sanctorum a Joanne Magno Patriarcha ordinata, Joannis Basorensis, Michaelis Patr. Antioch.: sacerdos: „Sancta sanctis." Populus: „Unus pater sanctus."[1]) Item in liturgia duodecim Apostolorum sanctorum, quam ordinavit Lucas Evangelista magni Pauli discipulus, in lit. S. Evstachii Patriarch. Antioch., S. Marutae Catholici sive Metropolitae Tagritensis, S. Cyrilli, Dioscori Patr. Alex., Severi Antioch. sacerdos: „Sancta sanctis."[2]) Ulterius in lit. Dionysii Barsalibi,[3]) Gregorii Catholici Orientis, qui Abulfaragius et Bar-Hebraicus dictus est, S. Joannis Patriarchae, qui Scriba et Acremetus dictus est, S. Dioscori Episc. insulae Cardou sive Gordyaeorum, Ignatii sive Joannis Patr. Antioch., qui etiam dictus est Joannes filius Maadni, Ignatii Patr. Antioch., qui etiam dictus est Joseph F. Vahib, Basilii ex versione Andreae Masii.[4]) In lit. autem Beatorum Apostolorum[5]) composita a S. Adaeo et S. Mari Orientalium doctoribus sic habetur: sacerdos: „Sancta sanctis decet in perfectione". Et dicunt: „Unus P. sanctus, unus F. sanctus, unus Sp. sanctus. Gloria P. et F. et Sp. S. in saecula saeculorum. Amen."

Ex his certe colligere possumus elevationem hostiae in concomitantia citatorum verborum apostolicae esse originis, causa vero illius institutionis sequens est: In primaeva ecclesia, quando nostris similia altaria mensaeque nondum aderant, sacrificia super ligneis mensis in domibus conventuum perficiebantur,[6]) ubi igitur cere-

---

1) Renandotii o. c. t. 2. pp. 159., 198., 217., 225., 233., 336., 379., 388., 397., 418., 434.

2) Ibidem o. c. t. 2. pp. 174., 239., 269., 284., 295., 329.

3) Ibidem o. c. t. 2. pp. 453.

4) Ibidem o. c. t. 2. pp. 467., 487. 506., 523., 541., 560. sq.

5) Ibidem o. c. t. 2. p. 595.

6) Irenaei lib. 4. cap. 34.

moniae cunctis fidelibus in conspectu fiebant. Quare tempore communionis ad concutiendos sensus incitandamque fidelium attentionem episcopus sive presbyter sursum elevabat s. dona exclamando: „Sancta sanctis," quibus inculcabat, s. mysteriis solos purae conscientiae digne participes fieri posse, „probet autem semetipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat" dicit Apostolus,[1]) atque deterrebat impios, ne forsan illi quoque audeant s. mensae se sistere. Cf. S. J. Chrysostomum[2]) ut sequitur: „Si quis non est sanctus, non accedat. Non simpliciter dicit a peccato purus: sed sanctus. Sanctorum enim est, non tantum a peccatis exemptio, sed et Spiritus praesentia et bonorum operum copia." Eodem pacto S. Germanus: „Mundis corde gaudet Deus sancta tribuere" et S. Cyrillus Hieros. catech. 5. mystag.: „Sancta sunt in altari proposita, quae Spiritus S. adventum (sanctificationem) susceperunt: sancti quoque vos estis, ut qui sancto Spiritu donati estis, atque ita sancta sanctis conveniunt." Serius, in aevo disjunctionis altaris ab navi per vela et respective per „Ikonostasion", quando igitur fideles non amplius perspicere poterant ceremonias sacrificandi, ab interpretibus alter est adhibitus huic rationi sensus, quem S. Germanus[3]) sic exprimit: „Elevatio sursum venerandi corporis significat elevationem Christi in crucem ac in illa subitam mortem ejus." Hinc fideles hodie per sonitum admonentur campanae ad reddendum honoris regi suo debitum, qui per mortem crucis liberavit illos a jugo servitutis diaboli, quod debitum illi humiliter atque devote se inclinando exhibent fervide verba publicani spirantes: „Deus

---

[2]) I. Cor. 11., 28.

[3]) Hom. 17. in ep. ad Hebr.

[4]) Dmitrewskij o. c. p. 325.

propitius esto mihi peccatori", memores dictorum Apostoli:[1]) „quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram etc." Georgius Curopalates in opere suo de officiis ecclesiae Constantinopolitanae cap. 17., num 41. contendit ipsum imperatorem quoque contingente elevatione S. Agni auditis verbis „Sancta sanctis" surgere de loco suo; Deo digne ostensurus venerationem suam erga Regem regum.[2]) Sane quidem, relictis alteris majuscula dumtaxat hostia, utpote Christum specialius repraesentans, ideoque „Agnus" vocata elevari praecipitur, non ita tamen, ut a populo conspiciatur, cui a S. Germano[3]) hic sensus attribuitur: „Quod solus sacratus panis elevetur: significat ipsum esse Christum regem et Dominum. Christus enim caput est secundum Apostolum, alia vero pretiosa dona sunt membra Christi et corpus Christi, idest pretiosi corporis Dei". Frangitur haec hostia in quatuor partes, quaeque eo modo super discum collocantur, ut exinde figura crucis cum quatuor suis extremitatibus emergat, quarum supremam partem τὴν ἄνω κειμένην sacerdos in calicem mittit dicens: „πλήρωμα πίστεως πνεύματος ἁγίου." Fractio panis contingit ad imitandum Salvatorem, in ultima coena etiam benedicentem ac frangentem panem, necnon ex ratione obediendi illius mandato, quo obligavit nos hoc idem in ejus memoriam facturos esse, atque ut egregie adjicit Simeon Thessal.,[4]) quoniam in fractione sacerdos: „Jesum crucifixum contemplatur", nec enim sublimior potest esse contemplatio, quam ejus, qui cum sit Deus excelsus pro nobis humilis

---

1) Hebr. 9., 14., 15.

2) Dmitrewskij o. c. p. 199. n. β.

3) Goar o. c. p. 125.

4) Ibidem p. 191.

factus est. Mystice fractio panis ac immissio particulae in calicem: Dominum morientem ejusque beatam animam ad „lymbum“ descendentem figurat. Exinde orta mixtio panis cum vino per Nicolaum Bulgarium („Interpretatio liturgiae“ in hunc locum) hoc pacto explicatur: „Nullam rem inveniri in tota liturgia magis convenientem, quam est unio haec pretiosi corporis cum sanguine Christi, quemadmodum naturaliter corpus cum sanguine unitur. Atque tali modo, ut una eadem res fiat et non duae, Corpus ac Sanguis Dei Salvatoris nostri, juste ecclesia unam cum altera unit,“ cui Dmitrewskij[1]) ipse ingeniose addit, dum consecratio panis in corpus et vini in sanguinem separatim effecta manenteque una specierum in disco et altera in calice repraesentat Dominicas passiones atque mortem, per unionem ipsarum convenienter nobis sistitur imago gloriosae resurrectionis Christi. Praeterea fractio hostiae etiam praeparat communionem; frangere enim panem significat praeparare cibum. „Frange esurienti panem tuum.“[2]) Corpus igitur Christi pro nobis fractum i. e. immolatum, fit cibus animae. Proinde haec fractio etiam gratiarum distributionem designat, quae ex immolatione hujus pretiosi corporis procedunt. Phrasi „Plenitudo fidei Spiritus S.“ confitetur sacerdos ipsum Spiritum S. esse operantem efficientemque hujus sacrificii, utpote cujus incomprehensibili operatione efficitur illic mystica Filii Dei conceptio, nativitas, passiones, mors atque e mortuis resurrectio.

Demum sequitur communio, quae duplex est, ecclesiasticorum nimirum atque laicorum. Illa in sanctuario fit, haec extra laicis conceditur. In prima iterum alia est forma celebrante episcopo, et alia eo absente.

---

1) Dmitrewskij. o. c. p. 329. n. з.

2) Is. 587.

Processus primi ceremoniae ferme eaedem sunt, qui olim in communione laicorum adfuerant, quando igitur episcopus aut presbyter viris laicis in manu SS. Eucharistiam tradebat, foeminis vero in linteamine „dominicale“ vocitato, quamobrem fideles divinam Sacramenti particulam suscepturi manum sinistram dexterae in crucis modum supponere, ut eam cava vola contineant, moxque dextera firmiter occlusa, precibus praeviis recitatis ori cum maxima cautela admoveri jubebantur. Unde S. Cyrillus Hier. catech. 5. Mystag. sic instruit fideles: „Recepturus igitur sanctum panem, non expansis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, sed sinistram thronum efficias dexterae, quae regem susceptura est; et concava manu suscipe corpus Christi subjiciens verbum Amen.“ Aequam communicat doctrinam S. J. Damascenus:[1] „Accedamus ad eum desiderio ardenti. Manus in crucis modum formantes crucifixi corpus suscipiamus et apponentes communioni oculos, labia, et frontem divini carbonis faciamus participes; ut ignis desiderii, qui in nobis est, ex eo carbone accendatur, et comburat peccata nostra et participatione divini illius ignis igniamur et deificemur.“ Apertio calicis et communio mystice designant: corpus Domini a cruce depositum et sepultum; canticum communionis: Dominum resurgentem ac denique sacerdos vertens se attolendo calicem: Dominum redivivum apparentem dantemque discipulis pacem.

Antiquitus teste libro 8. Const. Apost. cap. 13. in porrectione s. corporis ex parte sacerdotis tantummodo: σῶμα Χριστοῦ; ad calicem vero delibandum: αἷμα Χριστοῦ pronunciari solebat, hodie quemadmodum illico audiemus, prolixior verborum series adhibetur.

Ritus hic descriptus multum concordat cum illo in

[1] Lib. 4. de fide cap. 14.

ordinatione presbyteri servando:[1]) „Cum vero sancta fuerint absoluta et dicturus est: „Ita ut sumentibus fiant," accedit ordinatus et pontifex sanctum panem tradit ei etc.," pari modo in missa episcopali.

Modum communionis sacerdotis jam pridem retulimus, nunc restat nobis formam communionis laicorum hodie observatam describere. Quemadmodum jam supra indicavimus, communionis locus pro his extra cancellos ac portam βασιλικήν dictam (ex ea namque Rex Christus ad plebem pascendam egreditur) destinatus est, ubi adveniens sacerdos cum sacramento, particulam quamdam sanguine perfusam e calice cochleari parvulo (cujus manubrium tenue et oblongum plerumque crucicula in extremitate ornatum est) sublatam in os apertum communicantis porrigit dicens: „Communicat servus Dei pretioso et sancto corpori sanguinique Domini et Salvatoris nostri J. Christi in remissionem peccatorum et in vitam aeternam Amen." Post communionem vero: „Ecce tetigit hoc labia tua et aufert iniquitates tuas et omnia peccata tua purgabit", quemadmodum et pro semetipso dixerat. Advertit Goar: „Cochlear illud adinvenit Chrysostomus, ut suspicatur Arcudius lib. 3. cap. 33. et affirmat Ligardius, ejusque usum in Ecclesia communem facere coepit illius foeminae haeresi Macedoniana infectae occasione, quae falsae religionis simulandae causa, panem Eucharisticum de manu Chrisostomi sacra facientis acceptum furtim ancillae dedit, haereticorum panem illius loco consumptura, qui mox in ejus ore in lapidem est mutatus. Unde tam nefandae fraudis vitandae gratia, ecclesiastica lege sancitum

---

1) Goar o. c. p. 243.

2) Idem o. c. p. 130.

est, ut mysteria Eucharistiae in calice commixta simul populo deinceps dispensarentur."

Ad canticum: „Εἷς ἅγιος, εἷς κύριος etc." observat Cabasilas: „Fideles exclamant: unus sanctus, unus Dominus, J. Christus: quia nullus a seipso sanctificationem obtinet, neque ipsa humanae virtutis est opus, sed ex ipso omnes et per ipsum ea donantur."

Hymnus communionis diei aut sancti, cujus est festum, graece τὸ κοινικόν, est modulus sub sacra communione a choro cantatus, summamque similitudinem cum Antiphonis illumque finem habens, ut attentionem adstantium a terrenis, profanis eripiat atque ad coelestia, spiritualia evehat, nam cum talibus decet sub sacris occupari fideles. Semper intime cohaeret significationi festi ac intentioni.

Verba "Τοῦτο ἥψατο τῶν χειλέων σου, καὶ ἀφελεῖ τὰς ἀνομίας σου, καὶ τὰς ἁμαρτίας σου περικαθαριεῖ" ex Isaiae 6., 7. sunt delata, indigitantque eundem effectum esse sacramenti participationem producturum in nobis, quem olim tactus calculi labiis Isaiae in eo produxerat, scilicet mundationem a peccatis. Ipsa communio interprete S. Joanne Dam. mysterium sepulturae J. Christi significat, qui quasi in sepulchrum descendit in interna nostra estque simul tali modo egregium immortalitatis pignus, quam per illum ac in illo possessuri sumus. Distributio Agni in partes, Christi passiones repraesentat.

Cum fideles spiritu moti saeculari et vanis caducisque rebus immodicam curam exhibentes ex maxime parte impeditos se inveniant ss. mysteriorum realiter quoque participes fieri, utpote non convenienter praeparati, s. mater ecclesia ex propria experientia certissimum habens persuasum de utilitate gravitateque spiritualis communionis, materna sua admonitione vehementer urget

eos, ut saltem hanc sibi comparare studeant. Jam S. J. Chrysostomus[1]) amaram movit quaerelam de frigiditate suae aetatis christianorum tepide se abstinentium a sacramentali communione, cum cuique constat hujusmodi teporem signum esse tristissimum ac certissimum illius spiritualis siccitatis, quae homines semper in brachia infidelitatis in hoc summum malum maximumque periculum pepulit et pellit.

Anima siquidem hominis instar agri se habet, frequenti irrigatione indigens ad fructus suos salubres proferendos. Etenim sicut terra per aquam humida et tali modo fructuosa redditur, sic est opus animam quoque per apta media emoliri, quorum unum ac summae gravitatis spiritualis communio est, in eo consistens, ut licet quidam adstantium liturgiae non realiter communicet, per habitum sincerum desiderium devotamque intentionem sacra suscipiendi fructuum mysterii particeps fiet; siquidem quilibet christianorum quotidie ac semper spiritualis cum Christo conjunctionis gratia ei accedere et potest et tenetur. Hoc modo toties per fidem atque spiritualiter communicat ac satiantur fideles, quoties mysterium incarnationis Christi, illius passiones atque resurrectionem cum debita devotione contemplantur ac amore versus Eum exardent.[2]) Hinc sersermocinatur S. Augustinus[3]) dicens: „Crede et edisti." Ideo hoc momento, cum sancta mysteria populo ostendantur et hic communioni advocetur, quilibet fidelium coram Domino Salvatore suo spiritualiter in pavimentum se projiciat necesse est, vehementer studens amore exardescere fllagrareque sancta desiderii flamma cum Eo, qua fonte vitae

---

[1]) Hom. 3. in ep. ad Ephes.

[2]) Imit. Christi cap. 10. num. 6.

[3]) Tractatus 25. in Joannem.

et immortalitatis se in unum conjungendi nunquamque ab Eo separandi.

Haec spiritualis communio vis magni ac ponderis est, frequenterque non minus fructuum atque gratiarum affert, quam aliis ipsa oralis communio, utpote quae indigne suscipientibus in judicium quoque potest esse,[1]) dum haec semper utilis atque salutaris est, imo sine hac et ipsa oralis communio nequit suum habere robur ad fructus optatos participantibus efficiendos.

Exinde sic nos S. Theresia admonet; „Communio spiritualis valde necessaria est; non itaque omitte illam. Ex hoc siquidem cognoscit Deus tuum ad se amorem.“ Item S. Alfonsus Liguori: „Adhortor quemlibet, qui in charitate J. Christi proficere vult, ut quando visitet cunque SS. Eucharistiam et adsit s. Missae, saltem semel communicet spiritualiter.“[2])

Materiam aptissimam considerandi pro hoc momento praebet coronatus propheta canens:[3]) „Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei,“ sive quod nos in officio aquae benedictae recitamus:[4]) „Adest nunc tempus omnes sanctificans, justusque nos Judex exspectat: verum convertere anima ad poenitentiam, velut fornicatrix cum lacrymis exclamans: Domine miserere mei.“

Omne memorabilius vitae Dominicae momentum in decursu liturgiae expressionem invenit. Hucusque consideravimus conceptum, natum, cum hominibus viventem,

---

[1]) I. Cor. 11., 27., 29.

[2]) Nagy A.: Hitelemzés példákban t. III. p. 464.

[3]) Ps. 41., 2., 3.

[4]) Goar o. c. p. 359.

pro horum salute patientem et mortuum Redemptorem nostrum, nunc igitur superest aliquo ritu liturgiae e vita Christi, ejus per ascensionem gloriam, nominisque apostolorum praedicationem per orbem disseminatam notitiam exprimere. Et jam huic destinantur fini servire verba: „ὑψώθητι εἰς τοὺς οὐρανούς“, prout etiam Simeon Thessal. lib. de templo exponit: „Pontifex sancta adolens discedit, et ea subdit, quae Ascensionem Domini et in posterum praedicationis ejus gloriam ad omnem creaturam manifestant. Quasi cum Salvatore dissereret et diceret, quia ad nos usque descendisti et assumptus in coelum tua gloria terram omnem replesti: per hanc nos sacra perficimus mysteria et tui participes sumus et te possidemus perpetuo.“

Postquam sacerdos in pronunciando „perpetuo nunc et semper et in saecula saeculorum“ cum calice adhuc quoddam de non consumptis ss. mysteriis continente populum benedixit, protinus ad πρόθεσιν proficiscitur, ubi residuum sacramenti consumat, dein manus lavat, interim incipiens post communionem secreto recitare ut sequitur: „Recti participes effecti divinorum, sanctorum, illibatorum, immortalium, supercoelestium et vivificorum mysteriorum, digne gratias agamus Domino.“ Servus: „Domine miserere.“ Sacerdos porro: „Suscipe, salva, miserere et conserva nos Deus tua gratia.“ Servus: „Domine miserere“. Iterum sacerdos: „Diem omnem perfectum, sanctum, pacificum et a peccato immunem postulantes, nosmetipsos et invicem et omnem vitam nostram Christo Deo commendemus.“ Servus: „Tibi Domine.“ Includit sacerdos has ectenias cum etiam secreto proferenda gra-

tiarum actionis oratione dicens: „G r a t i a s a g i m u s t i b i b e n i g n e D o m i n e, b e n e f a c t o r a n i m a r u m n o s t r a r u m, q u o d e t i a m p r a e s e n t i d i e d i g n o s f e c i s t i n o s, c o e l e s t i u m t u o r u m e t i m m o r t a l i u m m y s t e r i o r u m. V i a m n o s t r a m d i r i g e, c o n f i r m a n o s i n t i m o r e t u o, c u s t o d i v i t a m n o s t r a m, f a c s e c u r o s g r e s s u s n o s t r o s: p r e c i b u s e t i n t e r c e s s i o n e g l o r i o s a e D e i p a r a e e t s e m p e r v i r g i n i s M a r i a e e t o m n i u m s a n c t o r u m. Q u o n i a m t u e s s a n c t i f i c a t i o n o s t r a e t t i b i g l o r i a m r e f e r i m u s, P a t r i e t F i l i o e t S p i r i t u i S. n u n c e t s e m p e r e t i n s a e c u l a s a e c u l o r u m.“ Servus: „A m e n.

Per ablationem residuorum donorum ad πρόθεσιν valde convenienter eventus repraesentatur ascensionis Domini, etenim illa Christus avolavit e conspectu discipulorum in coelum, invisibilisque eis factus est, quod idem per descriptam ceremoniam hic quoque accidit. Haec residua dona olim a diaconis ad juste absentes, ut erant infirmi et propter nomen Christi incarcerati, asportabantur, nunc pro iis in „Chivot“ extra s. panis aliquot particulae deponuntur ac conservantur. Contingente consumptione residuorum donorum populus canit hymnum: „impleantur labia nostra“ etc., cujus sensum Nicolaus Cabasilas[1]) in interpretatione liturgiae sequenti aperit pacto: Populus canit hymnum ex prophaeticis dictis (Ps. 70., 8.) „Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam“, cui alia dein suspiria adduntur, compositum: insufficientes sumus, — inquunt, — Domine etiam hymnum tibi canere, sed tu hoc quoque concedas. Quomodo? Complens laude labia

[1]) Dmitrewskij o. c. p. 350. n. β.

nostra. Et qui das orationem oranti, sic quoque concede virtutem et nostris labiis digne te glorificari. Dein petunt, ut in accepta sanctificatione perseverare valeant et non amittant gratiam, adjuturi nimirum a Deo tota die meditari justitiam ejus, i. e. resplendentem in mysteriis divinis sapientiam atque charitatem illius versus homines."

Naturale est homini, etsi perversissimus est, pro acceptis bonis gratum cor rependere, etenim pro bono docente evangelio latrones atque etiam usurarii bonum reddunt, quanto magis igitur sacerdotem decet gratum animum pro SS. Eucharistia, ut mercedem pretiosissimum, quam habet, Domino rependere; inde Justinus (Apol. 2.) loquitur: „Laudem et gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii et Spiritus S. offert et gratiarum actionem pro eo, quod hisce nos donis suis sit dignatus prolixe exequitur." De eadem S. Agustinus epist. 59.: „His peractis et participato tanto sacramento, gratiarum actio sancta concludit." Quae sequuntur ergo, fiunt in gratiarum actionem. „Tota Missae celebratio — scribit S. Thomas — in gratiarum actione terminatur, populo exsultante pro sumptione mysterii (quod significat cantus post communionem) et sacerdote per orationem gratias offerente." Oratio haec auctorem ipsum S. Joannem Chrysostomum habet.

Notandum, allatas ectenias sacerdos de regula clara voce et coram altare teneretur pronunciare, quemadmodum id etiam apud Galicianos in ecclesia ad S. Barbaram Vindobonae audiri potest. Apud nos in Hungaria saltem in dioecesi Munkacsensi contrarius modoque descriptus usus invaluit et obtinet imperium.

Memoratae ecteniae superabundant magnificentia copiaque sensuum et nomenclationum sacrificium cha-

racterisantium, quae ratiocinante Dmitrewskij[1]) adjunguntur illi a) ostendendi causa communicantibus quantorum donorum ii per id participes fieri dignati sunt a Deo, et b) ad incitandos fideles ad liberalissimas gratiarum actiones pro illis obtentis.

Hic dona communionis vocitantur 1. mysteria divina, quia sub sensibilibus speciebus corpus et sanguinem ipsius Filii Dei, Sanctissimi inter sanctos, „Agni immaculati Christi et incontaminati"[2]) accipimus; porro 2. sancti atque illibati: 3. supercoelestia, juxta illud:[3]) „Hic est panis de coelo descendens . . . Ego sum panis de coelo descendens"; 4. Immortalia, „ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur";[4]) 5. vivificantia, „si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum,";[5]) „qui solus habet immortalitatem",[6]) „cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia",[7]) qui participantibus corporis et sanguinis sui immutabili verbo suo vitam aeternam immortalitatemque promisit dicens: „Amen, amen dico vobis, qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;"[8]) ast simul terribilia, scilicet illis, qui indigne eum suscipiunt, admonente Apostolo:[9]) „Quicunque manducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini". „Horrendum enim est incidere in manus Dei viventis",[10]) quoniam Deus noster, Deus ultionis „ignis consumens est."[11])

---

[1]) Dmitrewskij o. c. p. 352.
[2]) I. Petri 1., 19.
[3]) Ioan. 6., 50., 51.
[4]) Ibidem.
[5]) Ibidem.
[6]) I. Tim. 6., 16.
[7]) Act. Ap. 17., 25.
[8]) Ioan. 6., 59.
[9]) I. Cor. 11., 27., 29.
[10]) Hebr. 10., 31. — [11]) Ibidem 12., 29.

Conclusio ἐκτενῶν implorationem diem perfecte, sancte etc. pervivendi continet, quod ecclesia ut optima mater jam-jam discessuris fidelibus prolibus suis convenientissime a Deo per fervidas preces eflagitare jubet. Hac gratae obsecrationes teste S. J. Chrysostomo[1]) institutae sunt ad imitationem atque imaginem illius psallationis, quam apostoli cum Salvatore completa perfecerant ultima coena: „Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti" inquit Matthaeus,[2]) quare divus pater[3]) illos, qui non finita liturgia coetum fidelium deserunt, perverso Judae comparat, utpote qui etiam ante completam ultimam coenam reliquit societatem Domini apostolorumque. Post communionis orationes mystice repráesentant: Dominum docentem discipulos per quadraginta dies ac deinde ascendentem in coelum.

Absolutis gratiarum actionibus sacerdos praeparaturus fideles ad decenter discedendum ex ecclesia, clara voce exclamat: „In pace procedamus." Chorus: „In nomine Domini." Sacerdos: „Dominum precemur." Chorus: „Domine miserere," post quod sequitur oratio retro Ambonem extra Tribunal alta voce a sacerdote proferenda: „Qui benedicis benedicentibus te Domine et sanctificas eos, qui confidunt in te: serva populum tuum et benedic haereditati tuae, ecclesiae tuae plenitudinem conserva, sanctifica eos, qui diligunt decorem domus tuae, tu eos vicissim gloria reple divina tua potestate, et ne delerinquas nos, qui speramus in te. Dona pacem mundo, ecc-

1) Hom. 83. in Matth.

2) Matth. 26., 30.

3) Hom. 24. in bapt. Christi.

lesiis tuis, sacerdotibus, rectae fidei regi nostro (N), exercitui et omni populo tuo. Quia omne datum bonum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a te Patre luminum et tibi gloriam et gratiarum actionem et adorationem referimus: Patri et Filio et S. Spiritui nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen." subitoque ter cantat: „Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc et usque in saeculum", sacerdos vero dum cantus protrahitur, intrat altare secreto orans: „Plenitudo legis et Prophetarum, tu ipse existens Christe Deus noster, qui omnem paternam dispensationem implevisti, expleas gaudio et hilaritate corda nostra, perpetuo nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen." Deinde sacerdos hoc more finem facit liturgiae: „Sapientia". Chorus: „Prae Cherubim venerandam et Seraphim sine comparatione gloriosam, citra corruptionem Deum Verbum partam, vere Deiparam magnificamus." Sacerdos: „Gloria tibi Christe Deus noster, spes nostra, gloria tibi." Chorus: „Gloria Patri et Filio et Spiritui S. nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Domine miserere. Domine miserere. Domine benedic." Et si est dies Dominicus dicit sacerdos: „Qui surrexit a mortuis Christus verus Deus noster", si vero non est dies resurrectionis (id est dies Dominicus, quo resurrectionis agitur memoria) dicit: „Christus verus Deus noster, precibus illibatae suae matris,

virtute pretiosae et vivificae crucis, sanctorum, gloriosorum et percelebrium Apostolorum, sancti patris nostri Joannis Chrysostomi AEppi Constantinopoleos, reverendorum ac deiferorum patrum nostrorum et omnium sanctorum, misereatur nostri et salvet nos, ut bonus et clemens." Chorus: „Amen". Modo sacerdos versus populum se convertit; quem cum dextera in forma crucis benedicit verbis: „Dominica benedictio super vos cum ejus gratia et humanitate perpetuo, nunc et semper et in saecula saeculorum." Chorus: „Amen".

Haec benedictionis expressio apud Goarium paululum aliter exhibetur, sonatque graece: „Φυλάξαι Κύριος ὁ Θεὸς πάντας ὑμᾶς τῇ αὐτοῦ χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ πάντοτε, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τάς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν; latine: „Custodiat Dominus Deus omnes vos sua gratia et humanitate perpetuo, nunc et in saecula saeculorum. Amen."

Accepta benedictione populus in pace cum Deo discedit.

Forma dimittendi populum a sacris Graecorum „ἐν εἰρήνῃ προέλθωμεν" quoad sensum accurate cum illa Latinorum concordat: „Ite, missa est", estque ex alio in Const. Apost. lib. 8. cap. 15. „ἐν εἰρήνῃ ἀπολύεσθε" deducta, imo e Christi Domini verbis, — ait Gavantus, — qui coena facta et hymno dicto, discipulis discessus licentiam fecit dicens: „Surgite, eamus hinc."

Pia institutio ejus pluribus nititur antiquorum conciliorum decretis, prohibentibus fideles nondum expletis missarum solemnibus ecclesiae conventum deserere; hinc tempus, quo solvitur ille et quo ecclesia liceat egredi,

cunctis publica indicatur voce.[1]) Hac conclusione usi sunt alii quoque compositores liturgiarum, quemadmodum nobis constat ex liturgia Apostolorum, S. Jacobi, Petri apostoli etc., rationom cujus S. J. Chrysostomus[2]) hoc modo aperit: „Diaconus dimittens vos ab hoc conventu (liturgiae) eandem (pacem) vobis implorat dicens: procedamus in pace." Responsum fidelium ἐν ὀνόματι Κυρίου liquide demonstrat commotionem animarum eorum, qui nunc jam piissimis sensibus charitatis erga Dei benignitatem in sacrificio altaris sibi ostensam repleti, precantur adhuc benedictionem a sacerdote per nomen Domini sibi impertituram esse, quam ille mox et petit iis dicens: „Dominum precemur" et protinus post responsum populi „Domine miserere" orationem recitando Ambonis.

Mirus procedendi modus, in quo magnifice resplendet profunditas ac ubertas psychlogicae scientiae divi nostri patris, qui cum hoc opus aevi pretii in aeternum duraturum dextera sua conscriberet, sinistra pulsus cordium fidelium auscultare videtur, qui repleti affectibus pietatis abnuunt adhuc domum derelinquere salutis et licet dimissi sint, ipsi non dimittunt sacerdotem, nisi prius ipse Christum in coelum ascendentem, discipulisque benedicentem imitatus eis benedixerit. Nihil igitur naturalius, nihil magis congruens sic emergenti situi, quam ut sacerdos quasi satisfacturus communi optato egrediatur e sanctuario et in medio populi, retro Ambonem recitet orationem, quod et jubet s. pater Chrysostomus, cujus sensum et rationem tam sagaciter proponit nobis S. Germanus[3]) verbis: „Quae retro Ambonem oratio, velut sigillum est omnium petitionum et compendium rite com-

---

[1]) Goar o. c. p. 131.

[2]) Hom. de jejunantibus ad Pascha.

[3]) Goar o. c. p. 132.

positum primis et praecipuis conveniens orationibus. Cum enim divinum omne sacrificium perfectum quidem pro offerentibus, et pro iis, pro quibus obtulerunt, perficitur: ut deinde pro omnibus, quos explicata mente non comprehendit sacerdos: propterea in fine ordinem unicuique orationi convenientem apponit. Etenim cum aliqui eorum, qui extra ad altare stant, in dubium saepe incidant, cogitationibus fluctuantes et dicentes, quae utique est ecclesiae intentio et qui est sensus et virtus orationum harum, quae a pontifice submurmurantur? et cupiunt cognitionem quamdam harum attingere. Hujus causa sancti Patres velut compendium omnium, quae in orationibus postulata sunt, formam hujus orationis composuerunt, ut quasi e fimbria texturam, seu ex ungue Leonem hoc pacto docerent."

Auctor hujus orationis S. Basilius Magnus est, quae propter singularem suam compositionis formam digna est, ut cum ea per partes occupemur. Enumerat in ea nimirum sanctus auctor quosdam status, conditiones fidelium hisque specialiter correspondentes indigentias, denique in genere omnibus benedictionem eflagitans a Domino. Hinc adstanti populo benedictionem sanctificationemque implorat, postea statim ecclesiae plenitudinem conservare, sub qua intelligitur 1. copia donorum Christi ecclesiae datorum,[1]) 2. dilatata propagatio hujus, complectens cunctas fidelium super orbem terrarum diffusorum conditiones, quare illa nomine „catholica" insignitur; petit ulterius sanctificare illos, qui decorem domus ejus amant, i. e. omnes cooperantes ad exornandam externe ecclesiam agendae gloriae divinae causa ex substantiis suis, necnon illi quoque, qui confidenter et devote nomen Dei in ea glorificant, qui ideo vicissim

[1]) Ephes, 3., 19.

gloria sua illos replebit. Precatur porro ecclesiae pacem condonare, ut queat eflorescere, sacerdotibus, regi, exercitui et populo, quae eis necessaria sunt, allegando rationem quoque, foventem illa obtinendi dicens: „Quia omne bonum datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum,“[1]) quippe qui unicus est largitor et lucis internae illustrantis mentes nostras, ut cognoscamus, quae sint Deo placita et virtutis, ut perficiamus ea. Corona operis laudes sunt, testificaturae gratos fidelium affectus pro tot tantisque bonis ac beneficiis, quibus Deus illos per sacrificium SS. Eucharistiae cumulavit, textum quarum v. 2. Ps. 112. facit et per quas populus pro benedictione accepta vicissim benedictionem debitamque venerationem Deo rependere satagit.

Completa oratione „plenitudo legis“ etc. sacerdos diebus Dominicis atque festivis in principalioribus ecclesiis, ut est v. gr. cathedralis, egreditur sanctuario ad Ambonem distribuendi causa inter populum ἀντιδῶρα, quae nobis antiquas agapas in memoriam revocant, siquidem quarum profecto memoriale sunt. Quemadmodum supra retulimus, in primaeva ecclesia finito sacrificio eucharistico, ex residuis donorum ad sacrificium asportatorum partibus in ipsa congregationis domo immediate mensa communis instituta fuerat, quae ἀγάπη vocabatur. Ἀγάπη in genere amicitiam, amorem, benevolentiam designat, tam prout est animi habitus, quam prout actu exercetur, itaque quoad sensum potissime cum φιλανθρωπία concordat. In specie frequenter in alios quoque sensus generalibus propinquos adhibetur, v. gr. ἀγάπη τοῦ Θεοῦ= officia Deo praestanda, vel ἀγάπη τῆς ἀληθείας=studium doctrinae apostolicae[2]) etc. Specialissime ἀγάπαι signifi-

[1]) Jac. 1., 17. — [2]) II. Thess. 2., 10.

cant convivia, sive quod Germani per vocem „Liebesmahle“ exprimunt. Fuerunt vero illa convivia publica in conventibus christianorum sacris instituta, conjuncta in primitiva et apostolica ecclesia cum celebratione coenae dominicae festiva, ita dicta, quod Christianae charitatis symbola essent ac tesserae. Maxime autem epulae frugales fuerant et non luxuriosa convivia, conferentibus ditioribus christianis ad eas necessaria, quibus oblationibus non solum pauperes, qui cum divitibus promiscue discumbebant, fruebantur,[1]) sed etiam absentes aegrotantesque sustentari solebant. Morem hunc, qui tamen ad IV. usque saeculum duravit, concilium Laodicenum ob irreptum luxum ac lasciviam, in quae successu temporis abierat, abolendum judicavit et canon 28 vetuit ἐν κυριακοῖς ἢ ἐν ταῖς ἐκλησίαις τὰς λεγομένας ἀγάπας ποιεῖν.[2])

Nihilominus tamen ecclesia memoriam harum institutionum antiquarum non prorsus dereliquit, siquidem loco abundantium atque luxuriosarum epularum, quae jam bachanalibus gentilium prope erant, jussit completa liturgia partes a sacrificio remanentes panis inter praesentes distribuere,[3]) quae partes exinde ἀντιδῶρον nomen acceperant, piamque inter fideles fovent recordationem illorum quondam spiritu Christi saturatorum conviviorum. Ἀντιδῶρον ergo latine verbo „antidotum“ designare licet, seu quod loco cujusdam datur, est autem docente Simeone Thessalonicensi „panis sanctificatus, super quo in propositionis mensa preces fusae sunt, ex quo media pars exsecta, precibus consecrata est“, qui uti supra

---

1) I. Cor. 11., 16—34.

2) Schleusner o. c. p. 12.; Tertull. Apol. adversus gentes c. 39.; S. August. contra Faustum Manach. lib. 20. cap. 21.; S. Ambrosius. Sermo de Elia et jejunio cap. 17.

3) Conc. Nicoe. can. 5.

indigitavimus typum uteris B. Mariae Virginis exhibet, e quo operante Spiritu S. corpus Domini prodiit. Ideo recte vocatur porro ἀντιδῶρον etiam ἁγιασμός, i e. sanctuarium, hebraice מִקְדָּשׁ = (michdasch), quod ut verbum suae originis proprie quidem generatim separationem rei ab usu vel statu communi et promiscuo infert.[1]) Haec videtur esse mens et S. patriarchae Germani dicentis: „Virginei corporis, divisio panis benedicti et oblatae typum gerit“ et Cabasilas: „deinde et panem super quo facta est oratio, a quo sacram hostiam sacerdos abscidit, in partes dividens distribuit fidelibus, tamquam sanctificatum eo ipso, quod Deo dedicatus et sacratus est.“[2])

Alias quoque rationes excelsum hoc documentum maternae curae sanctae ecclesiae habet. Notum est nimirum ex historia, in incunabulis ecclesiae cunctos praesentes liturgiae debuisse corporis divinicique sanguinis participes fieri. Canon 9. Apostolorum jubet: omnes fideles intrantes s. divinam ecclesiam et audientes s. scripturam, si non vacaverint orationi atque s. communioni, ut indecentiam operantes, separandos esse. Ipsae orationes, ecteniae, hymni et ritus externi antiquarum hodiernaeque nostrae liturgiae etiam probant, eam non ex altera fine constitutam esse ac celebrari, nisi ut praeposita dona in corpus et sanguinem Christi sanctificentur fidelibusque participandi causa administrentur. Haec pia consuetudo illaese in primis vigebat saeculis diuque laudabiliter continuebatur, donec in decursu temporis fervor fidelium refrigescere incepit et devotio religiosa tepori locum cessit, multis scilicet solummodo sacris adesse, non vero simul communicare excupientibus. Folia operum sanctorum patrum innumera exhibent testimonia

1) Schleusner o. c. t. i. p. 20.

2) Goar o. c. p. 133.

heroici eorum studii, ut pristinam pietatem in perdita jura sua ac possessionem restituant. Ast frustra erat omnis sudor; labor eorum optatum attingere effectum non potuit. Telum contra indifferentiam missum nequivit vulnus huic lethale infligere, ut intendebatur.[1]) Fervor heroicus, tot martyres atque sanctos pariens ecclesiae funeste occubuit; et avolavit pedetentim aurea virtutum christianarum aetas.

Sane gubernatores ecclesiae Dei illius temporis succursuri imbecillitati humanae ac liberaturi, quod liberari poterat, prudentissime permiserunt fidelibus, ut instar ultimarum classium baptisandorum et publice poenitentium etiam sine expletione praecepti communicandi sacris assistere queant, bene persuasi, fideles per solum liturgiae auditum quoque multum salutaris lucraturos fore, cum et per merum auditum ad spiritualem conjunctionem cum Christo inducentur participesque fuerunt fructuum passionibus ac morte paratorum.[2])

Ne tamen fideles domos suas revertantur, quin quoddam signum visibile invisibilis gratiae accepissent, quoniam, — docente Simeone Thessalonicensi,[3]) — „sensibilibus quibusdam rebus, ut corpore tectos sanctificationem nos recipere oportebat: id maxime pane benedicto praestatur“, porro ne praemature aliquis deserat ecclesiam, necnon ob imitanda illa mutuae charitatis convivia, sapienter patres nostri praeceperunt, illis, qui liturgiae intersunt, residuas panis benedicti partes, ex quo Agnus in sacrificium excisus est ac oblatus, distribuendas esse, „hic enim panis, quamvis non sit corpus Christi, sanctus est tamen et sanctior cibis, quibus alimur“, inquit S.

---

[1]) S. I. Chrys. hom. 3. in ep. ad Ephes.

[2]) S. August. ep. 118. ad Januarium cap. 3.

[3]) Goar o. c. p. 192.

Augustinus.[1]) Juste exinde ss. patres ἀντιδῶρον has partes appellarunt, i. e. panem, qui loco divinorum donorum praebetur. Caeterum quam aestimabilem de sanctitate panis hujus Graeci fovebant opinionem, maxime exinde elucet, quod multi illum jejuni acceperint, iter vero, longius facientes tum nutriendae devotionis et sanctorum mysteriorum jugis memoriae conservandae gratia, tum in adversis periculis tempestatibusque ἀντιδώρῳ secum delato, tamquam ἀλεξητηρίῳ φαρμάκῳ (apta medicina) usi fuissent. Imo, ipsi quoque imperatores non recusabant completa missae solemnitate panem istum suscepturi, distribuentem sacerdotem advenire, prout id de piissimo et ecclesiasticae concordiae amantissimo Michaele Palaeologo apud Pachymerem constat: „Obviam et manifestus ille precibus fundendis factus vicissim progreditur Imperator: manusque extendit panem sacrum percepturus; continet tamen dexteram panis sacri frustulum tenentem sacerdos, atque ita manum tendenti Imperatori ipse dextera exporrecta supplicem offert precem etc.“[2])

Grato igitur corde coram admiranda s. ecclesiae debemus occumbere provisione, quod per institutionem ἀντιδώρων tam sapientem salutaremque excogitaverit medelam contra abusus malaque in convivia irrepsa charitatis christianae complemusque, quod nos ἐν ἁγίοις δώροις vestigia antiquae conspersae aspiciamus oportet, quae nobis primorum christianorum pietatem ac sanctos mores in memoriam revocant eosque in his imitandos admonent.

Quoad dimissionem populi, in citato textu duplicem indicavimus formam, quamvis adnotare teneamur, etiam festa sibi proprias dimissionis habere formas, quae tamen

1) Lib. 2. de peccato mer. et remiss. cap. 26.
2) Goar o. c. p. 133.

nonnisi quoad praeludium, seu verba introductoria discrepent, quoad reliqua semper eaedem manentes. Procedit autem in ea hoc pacto sacerdos, ut gloriam gratiarumque actionem dicat Christo Salvatori, appellans Eum instar apostoli[1]) „spem nostram“, quippe qui fons atque largitor omnium bonorum est. Sacerdoti hanc laudem pronuncianti chorus quoque per responsum suum succurrere properat dicens: „Gloria Patri et Filio et Spiritui S. etc.“ in fine instar viatici benedictionem a sacerdote anhelans per verbum: „benedic“, qui obtemperaturus precibus fidelium, jungit se ipsis ac in nomine totius conventus orat Christum Salvatorem, „verum Deum nostrum“, omnia nobis utilia ad salutem dare potentem, ut ip seipsum atque praesentem gregem miserationes dimittat ac cunctis salutem largiatur, „quoniam bonus et misericors Deus est.“

Omnibus dimittendi formis commune est ad permovendum Christum Deum, protectionem ac merita agminum sanctorum Eum perpetuo glorificantium in coelo sistere, in primis vero B. Virginis Mariae matris ejus, utpote plurimum valentis aqud filium suum juxta illud maxime notum in Deiparam hymnum: „Misericordiae portam aperi nobis benedicta Deipara in te sperantes, ne aberremus, sed per te ab omni angustia liberemur. Tu enim generis christianorum es salus.“[2])

Restat nobis adhuc benedictionem illustrare sacerdotalem. Vix datur in toto cultu christiano magis commovens momentum, vix excitat profundiorem in animas impressionem, quam haec actio sacerdotalis, quae velut sensibilis omnium hactenus peractarum orationum completio apparet et instar gloriosae coronae operi liturgiae

---

[1]) I. Tim. 1., 1.

[2]) Goar o. c. p. 606.

imponitur. Quemadmodum multae aliae ceremoniae, ita haec quoque ex antiquae legis cultu originem ducit, ubi: „Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: loquere Aaron et filiis ejus: sic benedicetis filii Israel et dicetis eis: benedicat tibi Dominus etc.“[1])

Ad illam impertiendam sacerdos verba:[2]) „Benedictio Domini super vos“ adhibet, quae adhuc suspirio: „sua gratia et humanitate perpetuo nunc et semper et in saecula saeculorum“ complentur. Fit autem benedictio haec uti supra exposuimus in forma crucis, siquidem in cruce et per crucem totum opus salutis nostrae a Christo Domino impletum fuerat, quo ritu Christus Dominus quoque imitatur, qui in coelum ascendens „elevatis manibus benedixit eis“ et in fine benedicet electis: „Venite benedicti Patris mei.“

Secundum ritum nostrum graecum sacerdos in impertiendis benedictionibus nomen Jesu Christi digitis quoque exprimere tenetur, et hoc ideo, ut sensibiliter etiam manifestetur in eo ac per Eum qua Summum Sacerdotem intercessoremque apud Deum saccrdotes opera perficere salutis. Idcirco digitus index dexterae recte ponitur, medius vero prope eum paululum incurvatur, quo pacto duae litterae nominis Jesu, scilicet „I.“ et C. oriuntur, quae juxta abreviationem: „Ἰσοῦς“ (in cyrillica **ІИСУСЪ**) designant. Iterum per appositionem rectam digiti annuli medio: littera „X“ describitur, parvi vero digiti incurvatione „C“, quo modo nomen Christi (in cyrillica **ХРИСТОСЪ**), in abreviatis „XC“ emerget. Unde benedictio haec litteris composita quoque nuncupatur.[3])

---

[1]) Num. 6., 22—26.

[2]) Ps. 128., 8.

[3]) Dmitrewskij o. c. p. 366, sqq.

Concludimus cum oratione S. Basilii Magni, quae utpote summarium recapitulatioque totius sonat liturgiae: „Completum et perfectum est prout quidem a nobis fieri potuit, Christe Deus noster, dispensationis tuae sacramentum. Habuimus enim mortis tuae memoriam, vidimus Resurrectionis tuae figuram, impleti sumus vita, quae nunquam desinit. Delicias tuas, quae exinaniri non possunt, percepimus: quarum ut etiam futuro tempore nos omnes digni habeamur, concede. Gratia principii expertis tui Patris et sancti, et boni, et vivifici tui Spiritus, nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen."

Quae omnia, salvo meliore judicio, dicta sunto, ut in omnibus glorificetur Deus ter Optimus, Maximus.

APPENDIX.




Fig. I. Vide p. 106.




Fig. II. V. p. 117.



Fig. III. V. p. 118.



Fig. IV. V. p. 119.




Fig. V. V. p. 120.



Fig. VI. V. p. 121.



Fig. VII. V. p. 122.




Fig. VIII. V. p. 127.



Fig. IX. V. p. 127.



Fig. X. V. p. 128.




Fig. XI. V. p. 130. et 137.




Fig. XII. V. p. 135.



Fig. XIII. V. p. 137.



Fig. XIV. V. p, 138.



Fig. XV. V. p. 139.



Fig. XVI. V. p. 286.